





Q. D. B. V.

DISPUTATIO JURIS FEUDALIS
DE

FRUCTIBUS FEUDI,

Quam,

Indultu inclytæ Facultatis Juridicæ,

PRÆSIDE

DN. GABRIELE SCHWEDERO, U. J. D.

Jur. Publ. & Feudal. P. P. O.

Patrono ac Præceptore suo colendissimo,

H. L. Q. C.

Ad d. 14. Julij.

Publicè & solenniter defendet

Georgius Adolphus Carocius, Pomeran.
Author & Respondens.

Mo. MDCCIII.

Tubingæ, Litteris Joh. Conradi Eitelii.

0

IN REBUS

REBUS

REBUS

REBUS

REBUS

REBUS

REBUS

REBUS

S. 1.
ex c
lici d
seud
ditto
inve
haju
cujus
fruct
jure
quib
sue
quid
stand
hanc
dum
S. 11
bere
direc
perit
tion
dypo
possi
fruct
confi
quid
dispo
sequ
fuit
ctiv



Q. D. B. P.
DISPUTATIO JURIS FEUDALIS
DE
FRUCTIBUS FEUDI.

Summaria.


§. 1. **C**onspiciuntur dissertationis. §. 2. Explicantur termini. §. 3. definiuntur & §. 4. dividuntur fructus feudi in naturales & industriales. Ad hoc mixta consuetudine nonnullarum Italiae regionum, ad illos vero proventus metallici de Jure Civili, non tamen hodierno referuntur. §. 5. & 6. agit de fructibus feudi constituendi, quatenus illi scilicet à promissario, (cui feudum vel pure vel conditionaliter, per concessionem expectativae, promissum est,) nec non ab abusive investito peti possunt. Fructus à feudi jam constituti considerantur pro triplici hujus status. Primus est status feudi vivente adhuc Vasallo spectati, cujus intuitu de fructibus proponuntur, I. specialia & quidem 1.) ratione fructuum jam natorum (a pendentium quod scilicet si sit alienabiles, & pinguiori jure ad Vasallum quam ad usufructuarium pertineant §. 7. & 8.) separatorum, de quibus in §. 8. generalis traditur regula, quod Vasallo semper, in totum, liberè b. e. sine onere praestandorum tributorum, & denique pleno & irrevocabili jure acquiritur, cujus juris effectus quoad fructus exstantes pariter ac consumptos ostenditur in §. 9. & 10. 2.) Ratione fructuum nasciturorum, quos libera Vasalli dispositioni, ad id ut vel ipsum feudum locare, vel hujus usufructum alteri concedere possit, subjacere probatur §. 11. qui declaratur per §. 12. ubi offeritur, quod succedens filius, quia est simul heres, istam dispositionem ratihabere tenetur, secum ac agnatus & dominus directus.

II. Communia s. generalia ad fructus & natos & nascituros pertinentia, quorum tria recensentur in §. 13. nimirum quod (1.) debita ratione fructuum contracta non sint feudalia, 2.) fructus feudales sub generali hypotheca continentur, & 3. quod J. d. in illos creditores alioquin immittit fructus ita tamen, ut multum intersit, an in ipsum feudum, an vero saltem in hujus fructus fiat immisio. Sequitur Tractatio de fructibus feudi in secundo casu considerati, quatenus illud scilicet ad successores feudales devolvitur. Ubi distinguitur an hoc fiat 1. sine facto Vasalli, hujus scilicet morte, & tunc locum esse dispositioni, 2. F. 28. §. His Conf. probatur in §. 14. in cuius fin. B. L. ad infr. seq. §. 21. remittitur. Adduntur tamen in §. 15. quaedam singularia circa fructus feudi, ad agnatos mortuo Vasallo perveniens; an vero 2. propter factum Vasalli, quod est vel feloniam, & tunc pro varietate casuum à domino directo

aut etiam ipso Vasallo à tempore delatae successionis omnes fructus perceptos recipiendos peti posse in §. 16. ostenditur; vel alienatio feudi consentiente domino directo facta, quae rescinditur aut jure devoluta successionis, quo casu ratione fructuum agnatis restituendorum distinguitur in §. 17. an illi ante mortem alienatoris hujusque filiorum, an vero post illam sint percepti; aut mediante retractu, & tunc fructus tempore cepti retractus pendentes, aut pro pretio in priori contractu desinito, ceteros vero non aliter, quam si post litem contestatam percepti sint, peti posse desinitur in §. 18. cujus occasione in id quod circa restitutionem fructuum, si feudum propter pactum de retrovendendo repetatur, juris sit, inquiritur in §. 19. in cujus sine simul indicatur, quod in feudis personalibus fructus ultimi anni, quocumque tempore decesserit Vasallus, semper ad hujus heredes pertineant. Hinc fit progressus ad tertium feudi statum, quatenus hoc sc. domino directo aperitur; id quod fit dupliciter §. 20. vel I. propter mortem Vasalli, cujus intuitu agitur de fructibus feudi ultimi anni nondum perceptis & quidem melioris explicationis gratia 1.) de ceteris utilitatibus feudi, quae proprie non sunt fructus e. g. jure venandi §. 21. 2.) de fructibus rerum allodialium, qui cum fructibus feudi male confunduntur. Illic autem sepius pertinet Lana ortum, de qua §. 22. nec non foetus piscium, de quo §. 23. 3.) De ipsis fructibus feudi proprie talibus & quidem a.) naturalibus iuxta dispositionem 2. F. 28. §. His Consequ. cujus prior decisio defenditur in genere §. 24. in specie quo ad singulas regulas, & quidem qua primam in §. 25. secundam §. 26. tertiam, quae restringitur ad fructus, nascituros in §. 27. limitatur una cum prima in §. 28. ubi de jure retentionis in feudo competente, hujusque effectu, qui est fructuum perceptio, agitur.

2.) Civilibus, qui in duplici sunt differentia. Alii enim proveniunt ex jure singulari Vasallo à Principe concessio, quo referuntur collectae, vectigalia, multae, morzuarium. Atq; haec omnia eo, quo Vasallus obiit, anno, ad successores feudales spectare demonstratur in §. 29. qui quo ad fructus feudorum regalium declaratur per §. 30. Alii vero ex jure in re ad feudum pertinentate debentur Vasallo, ut sunt 1.) annui redditus in specie sic dicti, de quorum in heredes allodiales transmissione qua jus commune & Saxonicum agitur in §. 30. 2.) usurae pecuniae feudalis de quibus §. 32. cujus occasione in §. 33. queritur de redditibus feudi pecuniarii ultimo anno perceptibilibus. 3.) pensiones feudi locati, de quibus §. 34. Vel II. propter feloniam Vasalli, quo casu, sive feudum ipso jure sive mediante sententia condemnatoria ad dominum redeat, omnes fructus post feloniam perceptos illi restituendos esse asseritur in §. 35. Denique in §. 36. coronidis loco adjicitur, quod omnis de fructibus feudi contraversa, nisi incidens sit, coram iudice allodiali dirimi debeat.

§. 1.



Missis iis, quæ ad præsentis materiæ commendationem, quâ nonnisi ex persona scribentis opus videtur, præmitti quidem poterant, statim rem ipsam aggrediemur, universam tractationem duas in partes generalem scilicet ac specialem divisuri, in quarum priori præter evolutionem vocum de definitione ac divisione erimus solliciti, posteriori autem id, quod juris est circa fructus feudi pro diversitate status, in quem illud partim ex dispositione juris Feudalis, partim etiam ipsius Vasalli facto vel licito vel illicito variè deducitur, quantum ingenii & temporis ratio patietur, eaque qua fieri poterit brevitate ac perspicuitate, investigare conabimur. Faxit, DEUS T. O. M. ut hæc, quam de Fructibus suscipimus, disquisitio nec sine nostrorum, si merentur, studiorum fructu ac commodo procedat!

§. 2.

Sed jam faciamus ipsius dissertationis initium ab Onomatologia, circa quam notandum, quod vocabulum *fructus*, h. l. accipiatur in sensu etiam proprio, latiori tamen, in quo civiles pariter ac naturales, adeoque omnes utilitates sub se comprehendit, quæ ex re aliqua vel sine hujus adjumento solius hominis facto, vel etiam industria humana cum rei, ex qua sumuntur, natura magis aut minus concurrente obveniunt, nullo discrimine habito, sive sint adhuc nascituri, sive jam nati, sive maturi sive immaturi, sive pendentes sive separati, sive exstantes sive consumpti, sive denique sint percepti, sive percipiendi. Vox *Feudi* 2. F. 3. in fin. à fide derivata (recentioribus licet improbantibus vid. Dn. Schilt. ad rubric. I. F. A. §. 7. & in tr. de Natur. success. Feudal. c. 1. §. 3. Dn. Hert. de Feud. Oblat. P. 1. §. 2. conf. tamen B. Dn. Struv. in Observat. Feud. ad S. J. R. c. 2. O. 2.) quam varios ac similes habeat significatus, satis explicatum reperitur apud Dd. vid. Excell. Dn. Præles, Patronus ac Præceptor noster atatem devenerandus, in *Disp. de Meliorat. feud. c. 1. ib. 7. 8.* Nobis quidem h. l. sumitur objectivè, quatenus scilicet denotat ipsam rem nexui feudali obnoxiam, sed itidem generaliter, ita ut etiam feuda nondum constituta, sed saltem promissa huc pertineant. Imò nec feuda Imperii immediata à tractatione nostra penitus sunt aliena, quanquam illorum, quæ communiter regalia vocantur,

tur, fructus maximam partem civiles, qui non tam jure domini utilibus, quam superioritatis territorialis percipiuntur, à fructibus feudorum mediatorum planè sint diversi. Unde etiam illa, quæ de transmissione fructuum in hæredes allodiales à Dd. variè traduntur, ad feuda regalia applicari non posse post Schilterum rectè judicaverit B. D. Itter. *de feud. Imper. c. 24 §. 12. conf. Myler. in Archontol. c. 21. th. 18. Acta Compromissi Francof. in Cauf. Palatin. pag. 308. & 310.*

§. 3.

Definiemus autem fructus feudi, quod sint utilitates, quæ ex re in feudum promissa vel data percipiuntur, debentur & acquiruntur. Hac ipsa descriptione à scopo dissertationis apertè satis removemus cætera commoda, quæ solius fortunæ beneficio rei feudalis possessori obveniunt, quò e g. pertinet *thesaurus*. Nam & hunc in fundo feudali repertum Vasallo communiter addicunt Dd. allegati à Joh. Simon *disp. de thesaur. th. 25. 26.* quanquam in puncto juris contrarium verius existimet B. Dn. Lauterib. *in disp. de thesaur. th. 19.* & laud. Simon. *d. l.* Nec turbare quenquam debet, quod ipso jure feudali 2. F. 56. *thesaurus* ad regalia referatur, id enim ibidem expressè restringitur ad illud, qui in loco Cæsaris vel etiam religioso invenitur, vid. omnino B. Dn. Text. *in J. Publ. Cæsar. t. 10. n. 110. seqq.*

§. 4.

Dividuntur fructus feudi, non secus ac allodii, in Civiles & Naturales, quinam autem ad hos vel illos pertineant, ex doctrina juris Civilis repeti debet. vid. Struv. *S. I. F. c. 12. apbar. 4.* Illud quidem plane singulare est, quod in nonnullis Italiæ regionibus *nix* ad vinum in æstate refrigerandum præparata inter fructus feudi industriales connumeretur teste Gizarell. *Dec. Neap. 34.* Guzman. *de Evict. q. 21. n. 48.* vid. Excell. Dn. Harpprecht. Patronus ac Præceptor noster deveniendus in *disp. de Jure circa Nivem. th. 1. §. 2.* Fr. Gallus *de Fruct. disp. 3. art. 9. n. 9.* Klock. *de Erar. L. n. c. 147. n. 9.* Rectius fructibus feudi naturalibus accensentur *proventus metallici*, nimirum si respiciamus ad Jus Civile Romanum, quo metalla in fundis privatorum reperta horum possessoribus relinquuntur, nisi quod jure Cod. sicut canonem metallarium solvere teneantur *l. 1. C. de Canon. Metall.* Nec jure Feudali 2. F. 56. aliter dispositum esse multi Dd. existimant, vid. Textor. *l. c. nov. 91.* Sed hodie moribus nostris, juri Naturali optimè convenientibus, cum metallifodinarum compendia ad Regalia, sive explicatus

catus loquendo, dominium publicum indubiè spectent. vid. *Excellent. Dn. Præsès in Introduct. ad Jus Publ. P. Sp. s. 2. §. 12.* certum quoque est, quod illa Vasallo, nisi in specie ipsi fuerint concessa, haud acquirantur. Quod autem in Vasallis Imp. immediatis aliter obtineat, id quidem referendum est ad tempora praesentia, non ad jus domini utilis, (sed potius superioritatis territorialis, quoad antiquiora verò ad speciale privilegium in *Aur. Bull. c. 9. §. 3. solis Electoribus concessum*; quanquam non desint exempla, quod jam ante *Carolus IV. regionum domini fedinarum jus sibi vindicaverint.* Quam in rem notabile occurrit diploma de anno 1276. ap. *B. Dn. Martin. Rangon. in diplom. Posner. p. 165.* in quo *Duces Pomeraniae Barnimus pater & Bogislaus filius terram Colberg in Episcopum Cambrinensem una cum salinis, aurifodinis, argentifodinis, ferrificinis, &c. emptionis titulo transtulerunt. add. Dn. Hert. d. superior. terr. ib. 46.*

Missis generalibus, ad specialem tractationem progredimur, de fructibus feudi pro diverso ejusdem statu propositæ methodi legem acturi. Potest autem feudum in suo statu generaliter spectatum considerari vel ut constituendum, vel ut constitutum. Quando feudum ut constituendum respicitur, id saltem h.l. explicandum venit: an & in quantum ille, cui feudum est promissum, vi juris ad rem cum ipso fundo hujus quoque fructus consequi possit? Equidem ille *Feudistarum Antesignanus Rosenthal. in Synopt. J. F. c. 4. concl. 2. num. 1. fol. 88. pr.* perinde ut *Franc. Gall. de fructib. disp. 27. pr.* generaliter pronuntiat, fundo aliquo infeudato etiã fructus, ut solo coherentes, cedere feudatario. Sed potius est, ut distinctè hic procedamus, habito sc. respectu ad modum, quo feudum promittitur aut remote constituitur. Fit autem hoc dupliciter vel per ultimam voluntatem, e gr. per legatum, vel per actum inter vivos. Primo in casu, cum legatarius feudi constitutione exigere possit mediante ex actione testamento. *Struv. in S. l. F. c. 7. aph. 3. B. Dn. Grave in disp. de legitimis feudat. ib. §. 2. in fin. Anton. disp. feud. 13. ib. 1. lit. H. conf. tamen Tabor, in technogr. doct. feud. P. 2. n. 2.* hæc vero propter summam cum actionibus bonæ fidei affinitatem talem habeat naturã, ut fructus à tempore mortis hæres præstare teneatur *l. 23. de Legat. 1. l. 78. §. 2. de Leg. 2. l. 26. de Legat. 3. B. Dn. Frommannus, cujus memoriam propter singularem erga Honoratissimum Dn. Patrem nostrum favorem una cum hoc semper venera-*

venerabimur, in disp. ac Dfferent. Act. ben. fid. § stricti juris th. 13. facile apparet, quinam fructus futuro Vasallo, dictâ actione instituta, adjudicandi veniant. Secundo in casu subdistingendum, an illud pactum illeve contractus, quò se quis ad investendum obligavit, fuerit bonæ fideie. g. emptio venditio, an vero stricti juris e.g. stipulatio, aut aliud simplex pactum, sive legitimum, sive etiam de jure Romana nudum. Si prius; constat rei in feudum promissæ fructus etiam tempore contractus empt. pendentes unâ cum iis, quos post moram percepit venditor, ab hoc esse præstandos. l. 13. 16. C. de Ad. Empt. l. 38 §. 8. 7. de Usur. vid. B. Dn. Lauterbach in Colleg. theor. P. ad t. 7. de A. E. V. th. 19. 20. 21. Et hætenus vera sunt, quæ scripsit Rosenthal. l. c. Sin autem posterius cont gertis, fructus tempore initi contractus vel pacti solo coherentes, quippe qui in conventionem stricti juris non deducti præsumuntur l. 78. §. 1. 7. de V. O. L. 3. §. 1. 7. de A. E. V. ad promissorem pertinent. Promissarius autem non alios fructus consequi poterit, quam qui re in judicium deducta, post litem contestatam percepti fuere, uti quidem in omnibus stricti juris actionibus, quibus actoris nec olim nec nunc propria petitur (quales sunt illæ, quæ præsuppositis in terminis promissario competunt) juris est l. 38. §. 7. 7. de Usur. l. 3. §. 1. cod. l. 31. pr. 7. de R. C. l. 8. 7. de re judic. B. Dn. Frommann. l. c. thes. 14. add. Franc. Gallus de fructib. disput. 14. num. 7. seqq. Diversa est ratio usurarum, quæ in stricti juris actionem, sive lis sit contestata, sive non, de Jure & Romano & hodierno, vid. Illustr. Mev. Conf. 99. quæst. 2. pertot. regulariter non veniunt; id quod h. l. quâ feudum pecuniarium si quis scil. alicui pecuniam sub lege præstandæ fidelitatis se daturum esse spondit, usum suum habere potest. Cui porro tanquam singulare addi meretur, quod in casu feudi pacto donationis promissi, etiam post litem contestatam, fructus nonnisi exstantes debeantur. De consumptis enim non tenetur donator, nisi condemnatus judicis præcepto obtemperare recusaverit per l. 41. §. 1. 7. de Re judic. etsi ratione exstantium in solidum condemnandus sit, uti ibidem loquitur Jctus, respiciendo procul dubio ad jus competentis donatori competens, quod ad fructus nondum consumptos extendere noluit, vid. Copus de Fruct. L. 3. t. 1. c. 5. Franc. Gall. l. c. D. sp. 19.

§. 6.

Ex dictis facile intelligitur, quosnam fructus expectivatus, cui scill-

scilicet feudum conditionaliter promissum est, conditione e.g. in casum morituri Vasalli collata existente à domino directo perire possit. Nam cum, uti pura, ita etiam hæc conditionalis feudi promissio fiat vel 1. per ultimã voluntatem, e.g. legatum, vel per contractum, eumq. aut 2. bonæ fidei e.g. Empt. Vend. aut 3. stricti juris e.g. stipulationem, aliudve pactum illust. Dn. Stryck. in *disp. de Expectat.*, c. 6. n. 5. seqq. consequens est, quod dominus directus primò & secundo in casu fructus à tempore mortis, ex qua nimirum illi, prout th. præced. dictum, in ex testamento & bonæ fidei actionem veniunt, restituere teneatur. De fructibus autem mortuo Vasallo pendentibus, qui ad hujus hæredes allodiales fere semper pertinent. 2. F. 28. §. His Consequ. non facillè controversiam movebit expectivatus; cui etiam tertio in casu, non alii fructus, quam post litem contestatam à domino directo percepti adjudicandi veniunt. Idem est si ille interdicto quorum bonorum experiat, facere autem hoc potest ex recepta apud Dd. sententia. Dn. Stryck. *loc. cit.* 1. & in *Ex. J. F. c. 12. quest. 36.* conf. Struv. in *Obs. feudat. ad S. J. F. c. 16. Obs.* quia in actionibus, quæ loco & nomine interdictorum hodiè competunt; demum ex tempore litis contestatæ fructuum ratio habetur l. 8. §. 4. in fin. de Precar. Struv. in *S. J. C. ad tit. 7. de Interd.* ib. 16. add. Fr. Gall. l. c. *disp.* 14. n. 18. 10. Aliud d. cendum, si expectans rei vindicationem, à domino directo sibi cessam vid. Struv. in *S. I. F. c. 7. aph. 7. num. 2.* instituat; quò factò in puncto restitutionis fructuum, id quod aliàs in dicta actione circa illud juris est, obtinere debet; non secus ac in casu investituræ abusivæ, per quam utile dominium in feudatarium transire verius nobis videtur, si illa fuerit verbalis, sive mediante traditione ficta, fictione scil. brevis manus, celebrata (nec quoad hæc duas species ipse Struv. dissentit vid. *S. I. F. c. 8. aph. 9. p. 28. 2.* conf. *aph. 11. n. 2.* B. Dn. Grave in *disp. de Investit. Feud.* ib. 50.) sive symbolica, quæ etsi possessionem non transferat. 2. F. 7. §. 1. de cætero tamen ex dispositione juris Feudalis pro traditione symbolica haberi debeat, parum vel nihil dubitamus, præsertim cum aliàs actus investituræ abusivæ esset frustraneus, si tantummodo jus ad rem tribueret, quod ex sola feudi promissione nasci certum est. Titius in *Deutsch. Lehr. Recht.* c. 10. §. 19. Atque hæc sententia, quam post Duarenium, Gudelinum, Finckelthius, Carpzov. aliosque pluribus defendunt Eyben in *Elect. Feud. c. 4. §. 11.* & c. 5. §. 8. Dn. Schilt. ad *J. F. A. c. 4. p. 61.* & ad *π. Ex. 45. §. 42. Ex. 13. §. 27.*

B

indu-

indubie procedit, si quis à Principè abusivè investitus sit idque actum appareat, ut ille fiat dominus, ad quod dijudicandum ante omnia tenor literarum investituræ diligenter inspiciendus erit conf. *Iter, de Feud. Imper. c. 9. §. 49. 50.* Si itaque pro vero supponatur, per investituram abusivam dominium transire; verum quoque erit, quod taliter investitus mediante rei vindicatione, quæ ipsi sine ulla cessione competit, omnes fructus à tempore dictæ investituræ perceptos à quocunque possessore, habita tamen distinctione, an hic sit in bona, an verò in mala fide, consequi valeat.

§. 7. Status feudi constituti variè concipi potest, potissimum a tripliciter. Aut enim I. feudum adhuc est penes Vasallum, aut II. vel ex vel sine hujus culpa ad successores devolvitur, aut denique III. domino directo, qui hætenus minus plenum dominium, directum nō, habuit, aperitur. Quod attinet primum feudum jam constitutum statum, ea, quæ hic circa fructus notanda veniunt, melioris ordinis & distinctionis gratia dividi possunt in *Communia s. generalia*, de quibus agemus infra §. 13. & *Propria s. Specialia*, quæ ad singulas fructuum feudalium species pertinent. Ubi quidem ante omnia discrimen faciendum est inter fructus nascituros & natos. Horum verò alii sunt pendentes, alii separati, iique vel exstantes, vel consumpti. Fructus feudales pendentes respectu temporis, quò Vasallus moritur, sunt vel ultimi anni, vel annorum præcedentium. De illis dicemus infra, de his duobus præprimis observari merentur, quorum primum est, quod dicti fructus omnino sint alienabiles Anton. Monach. *de Recta feud. interpretat. C. 57. part. 4. n. 16.* non obstante, quod tanquam pars fundi feudalibus, qui inalienabiles est, considerandi videantur. *l. 44. §. 1. d. R. V.* Cessat enim iste respectus, si fructus pendentes abstractivè & in se considerentur, post Hartm. Pistor. *p. 1. q. 24. n. 13.* Brunn. *ad cit. l. 44. n. 5. n. uti* quidem fit, si hi soli alienentur. conf. Fr. Gall. *l. c. disp. 2. c. 1. n. 5.* Nequæ hodiè illorū fructuum venditio Vasallo denegari debet. Quanquam enim non pauci Dd. existiment, quod in Imperio nostro frumentū in herba emere generaliter sit prohibitum in Ord. Pol. de anno 1548. *de 1577. tit. vom Verkauf der Früchte im Felde.* Brunn. *ad l. 78. n. de C. E. V. n. ult.* Ziegl. *de Jur. Maj. c. 41. §. 64.* Fritsch. *de jure messis 67. §. 2.* Struv. *in S. I. C. Ex. 23. ib. 27.* ibique Müller. *in Addit. lit. n. 20.* hoc

hoc tamen ita non esse & à laudatis Dd. parum cautè tradi optimè docuit Excellent. Dn. Harpprecht. in cit. *disput. de Jure circa Nov. hb. 7. p. 17. 18.* Porro notandum, quod Vasallus circa fructus pendentes pinguius jus habeat, quàm merus usufructarius, qui illorum fructuū, si ab extraneo vel etiam casu separati fuerint, proprietatem non consequntur §. 36. *Instit. de R. D. l. 12. π. quib. mod. usufr. amitt.* secus ac Vasallus, qui utique dominus manet, adeoque non solum actione furti, sed etiam rei vindicatione & conditione furtiva uti potest. Struv. in *syntagm. l. c. 12. app. 7. n. 1.* Nec movere nos debet textus 2. F. 23. in quo feudum expressè vocatur usufructus. Volunt enim recentiores ibidem intelligi Germanici juris usufructum, à Romano planè diversum. vid. *litter. de Feud. Imper. c. 22. hb. 2.* Sane cum Logobardi juris feudalis auctores, vi. Dn. Coccej. in *Hypomn. l. F. proem. §. 5.* de terris Saxonici vel Soxoniz vicinis in Italiam migrarunt, non vana admodum est conjectura, jus, quod apud Saxones circa usufructum singulariter obtinuit vid. Dn. Schilt. *ad n. Ex. 17. h. 19. seqq.* in Italiam inventum, & sic à collectoribus consuetudinum feudalium ad Vasallum fuisse applicatum, adeò ut hic, et si sit dominus 2. F. 8. nihilominus tamen usufructuarius dici comodè possit, eodem fere sensu, quo Grotius usus est, quando in ter. dominii minus pleni exempla usufructu reculit l. 1. d. 1. B. *§. P. c. 1. §. 5.* Et quis nescit, Regem non patrimonialempius Grotio dici usufructuarium, qui tamen in territorium suæ civitatis utique habet dominium et si restrictum & facultate alienandi destitutum, id quod optimè, si quisquam, novit Grotius? Cæterum quæ aliàs huic phrasi Grotianæ, licet præter necessitatem, opponi solent, jam non morabimur, vid. Huber. *de Jur. Civ. l. 1. §. 3. c. 2. §. 24. seqq.* Thomas. in *Instit. Jurispr. D. v. lib. 3. c. 6. §. 134. seqq.*

§. 8.

De fructibus feudi separatis exstantibus pariter ac consumptis pro regula tenendum est, quod utrique Vasallo semper, in totum, liberè, & denique plenè & irrevocabiliter acquirantur. Diximus I. semper, Quocunque enim in statu Vasallus deprehendatur, nunquam à comoditate percipiendi fructus excludi debet, licet sit filiusfamilias. Hu jus enim pater in feudo sive novo sive antiquo (e.g. si hoc sit fæmineum & à matre ad filium perveniat,) usufructum vindicare sibi nequit Struv. *l. c. 5. app. 15.* B. Dn. Lauterb. in *disp. de Pecul. Advent.*

irreg. *ib.* 17. Ludwell. *de success. feud. cap. ult. pag. 304.* Ill. Dn. Stryck. *de success. ab intestat. Diss. 2. c. 3. ib. 8.* Multo minus tutor Vasalli, fructus lucrabitur *arg. l. 7. §. 3. 7. pro Empt. excepto* tamen, quod antiquo jure Saxonico, nunc abolito, dominum directum, qui gessit tutelam, hac durante fructus retinuisse videatur Rosenthal *in Synops. J. F. c. 12. concl. 10. n. 37.* ubi in plerisque Angliæ feudis idem adhuc frequentari addit. *conf. Thomas Cragius Anglus de Jur. Feudor. lib. 2. diq. 20. pag. 283.* Diximus *ll. in totum.* Neque enim Vasallus, saltem ad servitia obligatus, aliquid de fructibus solvere tenetur domino directo; idque adeo verum est, ut nec ille, hoc invito, vel dimidiam fructuum offerendo à servitiis liberare se possit, non obstante 2. F. 55. §. firmiter *vid. Kohl. de servit. feud. P. 6. n. 43. seqq. Dn. Stryck. in Exam. J. F. c. 18. quest. 36.* Dissentit Rosenthal. *l. c. c. 8. concl. 23. n. 11. seqq. cujus sententia convenit juri Feudal. Aliemann. t. 8. §. 3. ibi: Si domi manere maluerint &c.* Prius autem limitatur in feudo censuali, nimirum, si census aliquis in frumento consistens ex feudo præstandus veniat. *vid. Wurmser. de feud. impropr. cl. 3. §. 18.* Huc quoque pertinet, quod Vasallus filiis ad succedendum inhabilibus 2. F. 6. §. mutus, nec non, moribus hodiernis, filiabus ex relictibus feudi *vid. Dn. Schöpfer. in d. sp. de Alienat. §. Dot. F. har. Nobil. membr. 1. n. 17. seqq.* alimentaministrare debeat, & quidem his, filiabus, usu & recepta consuetudine plerubique saltem in subsidium, bonis allodialibus ad eadem inde suppeditanda deficientibus; moribus vetero Pomeranicis etiam principaliter utut ad sit allodium & præstandis iis sufficiat *vid. Ill. Mev. P. 3. D. 367. P. 6. D. 184. n. 6. F. 8. D. 364. add. E jusd. consil. 44. ubi latè. Imò nonnulli Dd. eò progrediuntur, ut vel dominum directum in casu inopiz usque ad dimidiam fructuum unius anni alendum esse velint Dn. Stryck. l. c. quest. 34. & in diss. 27. de Jur. Reverent. Effect. membr. 1. n. 11. seqq. add. Fr. Gallus l. c. diss. 27. art. 1. n. 20. Diximus *ll. liberè.* Sunt enim fructus feudi regulariter (exceptiones *vid. ap. Struv. l. c. c. 11. aph. 5. n. 16.*) à præstatione tributorum liberi. Klock. *de Contrib. c. 14. sect. 2. n. 1. Carpz. Resp. L. 4. R. 70. Mev. P. 4. D. 33. Ziegler. de Jur. Maj. L. 2. c. 2. §. 51.* ita tamen, ut hæc immunitas non tam personæ Vasalli quam ipsi potius fundo feudali cohzreat, cujus possessor, cum ad servitia jam sit obstrictus, illum duplici onere gravare iniquum fuit visum. Alii quidem ponunt rationem, quod nobiles plerumque sint, qui feuda possident*

sident, sed solam nobilitatem à collectis non liberare, ex variis authoribus probare satagit Rövenfrunck im Recht, Bedenck, von Contrib. n. 100. seq. add. Mod. Pift. Vol. 2. Cons. 9. num. 49. Knipschild. de Jur. Nobil. lib. 3. cap. 7. n. 130. 150. seq. Hinc etiam fit, quod bona feudalia cum sua ab oneribus publicis libertate in possessores non nobiles transeant vid. Besold. in Thes. Pract. voce Adliche Lehn. Knipschild. d. c. 7. n. 208. seqq. ; quemadmodum è contra prædia rustica à nobili comparata tributis obnoxia manent. Knipschild. d. c. 7. num. 185. seqq. Mev. P. 3. D. 187. P. 4. D. 106. ubi num. 1. singulare Ordinis Equestris Bremenensis privilegium, etsi adhuc controversum, refert. conf. Casp. Lerch. de Ord. Equestr. art. 2. p. 180. seqq. & notabilis hanc in rem historia ap. Matth. Voss. L. 8. Annal. Holland. ad ann. 1355. Diximus denique III. plenè & irrevocabiliter. Ipse quidem fundus feudalis non nisi jure domini minus plenè, utilis scil. à Vasallo possidetur, quod tamen huic non obstat, quò minus illius fructus plenè sibi acquirit, præsertim, cum fieri omnino possit, ut quis plane non sit dominus imò saltem jus ad rem habeat, & tamen hujus rei fructus suos faciat etiam irrevocabiliter. Cujus certissimum exemplum habemus in conductore rei frugiferæ, quæ etsi in illius, seu nudi detentoris, proprietate neutiquam sit l. 39. τ. L. C. l. 80. §. fin. τ. de C. E. V. vid. omnino Excellent. Dn. Harpprecht. Patronus ac Præceptor noster valde honorandus in Different. Jur. Commun. §. Marcbic. Badens, ad P. 4. t. 3. §. 10. nihilominus fructus rei locatæ statim atque ejus nomine separati sunt, sola perceptione plenissimo domini jure acquirit. B. Dn. Lauterb. in Colleg. T. P. ad tit. Loc. Condat. l. b. 74. junct. rb. 82. 89. Franc. Gallus de fructib. D. sp. 28. tit. 1. Eleganter hanc in rem loquitur Seneca de Benefic. c. 5. ibi: *Coduxi domum à Te. in hac aliquid tuum est. Res tua. Usus rei me meus est. Itaque nec fructus sanguis, colono tuo prohibente, quamvis tua in possessione nascantur.*

§. 9.

Cæterum quod Vasallus fructuum perceptorum plenè ac irrevocabilis fiat dominus, insignes habet juris effectus ; & quidem I. quoad consumptos. Si enim postea contingat, ut ad restitutionem expensarum & meliorationum in ipsam rem feudalem factarum contra dominum vel agnatos ab hæredibus allodialibus agatur, hi, uti alias in bonæ fidei possessore juris est l. 48. τ. de R. V. illas cum fructibus consum-

sumptis compensare nullatenus tenentur, vid. Excell. Dn. Præses, Patronus noster colendissimus de *Meliorat. feud.* r. 4 §. 7. 8. add. Fr. Galus l. c. *disp.* 13. r. 22. *siqq.* Diximus in ipsam rem feudalem. Illarum enim impensarum, quæ quærendorum fructuum, agrorum colendorum gratia arando & serendo factæ sunt, licet per consequentiam, ad ipsam rem ejusque speciem conservandam spectent, nullam Vassallus hujusve hæres à domino velagnato repetitionem habet, easque cum fructibus perceptis compensare omnino debet. Exc. Dn. Præf. l. c. *ib.* 9. 2. Quoad *extantes*, quos Vassallus pro suo libitu ac arbitrio in quemcunque velit usum aptare & accommodare potest; ita, ut quocunque modo hoc fiat semper maneat in dominio Vassalli, inque hujus hæreses allodiales transmittantur, etsi fortè ultimò anno, quo ille mortuus est, in ipso solo feudali, à quo separati fuere, adhuc jaceant & deprehendantur. vid. Struv. in *Centur. Decis. Quenam res sint allodiales vel feudales.* Dec. 26. 27. Equidem de eo, an Vassalli nobiles de fructibus à prædiis feudalibus perceptis liberè negotiari valeant, valdè solliciti sunt Dd. propter l. 3. C. de *Commerc.* & *Mercator.* Certè mercaturam non exercet, qui rei suæ familiaris augendæ vel conservandæ gratia communi & cuilibet patrifamilias licito ac necessario commercio utitur. Per consequens splendori nobilium nihil detrahitur, si e. g. hordeum sibi natum vendant, vel etiam ex eo cerevisiam ad domesticum victum coqui curent. Aliud omnino est, si braxare velint ad id, ut cerevisiam venalem habeant; Hoc enim propterea quod civitatibus valde noxium reputatur, regulariter est prohibitum. Zytand. à Bude *de jure Braxandi part.* 1. cap. 2. *num.* 3. *seqq.* Mev. P. 2. D. 2. *Ziegl. de Jurib. Maj.* L. 1. c. 41. §. 10. 11. 12. 13. Struv. in *Observat. Feud.* ad S. I. F. cap. 12. *Obs.* 4. Bornit. de *Rer. suffic.* c. 16. Brunn. *consil.* 58. Dissent. Schrader. L. 2. *cons.* 44. contra quem benè lateque disputat B. Dn. Michaël. in *Resp. Cbilon.* *Resp.* 23. p. 386. *seqq.* Exceptiones vid. ap. Zyt. à Bude *d. l.* n. 23. Struv. l. c. *Obs.* 5. Mynsing. D. 15. *Resp.* 1. *quest.* 3. n. 77. Limn. L. 6. *Jur.* P. c. 5. n. 79.

§. 10.

Cum itaque Vassallus de feudi sui fructibus liberè disponat, sequitur, quod eosdem in extraneum quemcunque, & quocunque velit modo, transferre licitè possit, sive hoc fiat per actum inter vivos sive per ultimam voluntatem, Eo ipso enim, dum fructus à fundo feudo

feudali separantur, rei feudalis, regulariter inalienabilis, qualitate amissa fiunt res allodiales, earumque jure censendi veniunt. Surdus de Alim. L. 7. quest. 14. n. 13. Fr. Gall. l. c. Disp. 27. pr. Hinc recte jam inferitur, quod Vasallo de fructibus feudi testari Dn. Struyck. in Ex. J. P. c. 14. q. 10. illosque uti in dotem, ita etiam in solutum dare, nec non oppignorare, vendere permutare &c. sit permissum, idque indistinctè sive feudum fuerit novum sic antiquum, sive consensus domini directi vel agnatorum fuerit requisitus sive non. Neque enim hi vel ille in alienatione fructuum feudalium jure retractus gaudent, nisi forte cum Reinh. Rosa excipere velis fructus ultimi anni separatos; in quibus ut successores feudales jus protimiseos habeant, & quæ censet ipse in addit. ad Dar. Molher. §. 3. const. 32. num. 6. lit. c. vers. sed hoc morendum &c. conf. præjudicium Facultat. Lipsiens. apud Georg. Schultz. in Synops. J. F. c. 8. n. 272. p. 647. quod num sic usu fori Saxonici receptum sit, in medio relinquimus. vid. tn. Struv. in centur. Dec. quænam res sint allodial. &c. Dec. 19. & 23. Hoc quidem certum est quod omnia, quæ Vasallus ex fructibus acquirit, vel ex illorum alienatione ipsi debentur, sint bona allodialia, non verò feudalia. Franc. Callus l. c. in fin. 3. idque eò minus dubium habet, quò notius est, quod ne quidem pecunia ex ipso fundo feudali redacta sit res feudalis 2. F. 26. §. Si Vasallus. Quamquam autem alicubi contrariam singularem consuetudine invalescere potuerit vid. Ill. Rhet. ad 1. F. 8. num. 41. hæc tamen strictè intelligi debet & ad illa, quæ ex fructibus feudalibus comparata sunt, extendi plane nequit. Denique si Vasallus simul sit subditus domini sui directi, vid. Excellent. Dn. Præses in Introduct. ad 1. P. P. Sp. sect. 2. cap. 11. num. 7. non est dubitandum quin ille leges frumentarias observare debeat, nec non juri domini eminentis etiam ratione fructuum sit obnoxius.

§. 11.

Satis jam diximus de fructibus feudi jam natis Veniamus nunc ad fructus futuros seu adhuc nascituros; qui quod liberæ Vasalli dispositioni subjaceant, contra Vultejum sufficienter ostendit Struv. in S. I. F. c. 12. a. b. 7. num. 2. seqq. Ex cujus etiam traditis noviter dissentienti Birschio ad 2. F. 55. p. 687. satisfieri poterit. Constat quidem, quod apud Longobardos, qui pro juris nostri feudalis autoribus communiter habentur, omnis fructuum futurorum alienatio generaliter fuerit prohibita vid. Lib. 2. LL. Longobard. tit. 31. apud Melch.

Melch. Goldast. in *Collect. Consuetud. & Legum Imperial.* pag. 67. add. Constit. Caroli M. de prohibita alienatione fructuum futurorum; cujus meminit Joh à Sande in *Desk. Fris. L. 3. t. 4. D. 7.* Sed cum hæc Longobardica dispositio in jure feudali nullibi appareat comprobata; meritò standum est juri civili, ex cujus ratione Vasallo nihil obstat quò minus facultatem percipiendi fructus & commoditates feudi in aliquem transferre valeat. Ex quo jam fit perspicuum, quod Vasallus possit 1. Ipsum feudum locare 2. *F. 9. S. Donari;* etiam si locatio ad longum tempus fiat Da. Stryck in *Ex. I. F. c. 19. quest. 19.* id quod in puncto juris verissimum est, quoniam nec illa pro alienatione haberi debet. vid. *Mev. ad J. L. P. I. t. 7. art. 10. n. 15. Franzk. ad tit. loc. conduct. n. 29. seqq. & tr. de Laudem cap. 15. n. 9. seqq.* quanquam Dd. communiter, sed perperam, per ejusmodi locationem utile dominium transferri statuunt. vid. *Rosenth. in S. I. F. c. 9. concl. 10. lit. g. fol. 49. pr. cit. Dd.*

II. Usufructum feudi etiam improprie & abusive talem h. e. jus percipiendi fructus feudales alicui concedere, & quidem iisdem titulis, quibus aliàs verus & formaliter sic dictus usufructus constituitur. Sic e. gr. Vasallus creditori suo fructus feudi in solutum offerre non prohibetur Stryck. in *Ex. I. F. c. 10. quest. 7.* Sic pater filii fructuum perceptionem in dotem dare potest Struv. *l. c. num. 2. in fin. Rosenth. l. c. concl. 9. n. 1. Quæ* tamen omnia ita sunt accipienda, ut Vasallo tantum ex fructibus relinquatur, ut inde servitia feudalia præstare possit, Stryck. *l. c. c. 10. g. 14. conf.* tamen Rospos. Facult. Jenens. ap. Struv. in *Obs. Feud. ad S. J. F. c. 11. O. 11.* Porro requirit Rosenth. *l. c. concl. 10.* ut Vasallus, qui commoditatem percipiendi fructus alicui concedit, maneat in possessione rei feudalis; id quod tamen, si de possessione sive detentione actuali accipi debeat, (in possessione enim civili cum domino conjuncta ex natura & conditione negotii utique manet Vasallus) nobis quidem non videtur necessarium. Certior & utilior cautela est, ne Vasallus ipsum feudum alienaturus hoc faciat sub eo colore & prætextu, ac si solum perceptionem fructuum alicui concedere velit. Talis enim callida machinatio à pœna caducitatis feudi absolvi vix poterit, arg. 2. *F. 55. S. Callidus*; quemadmodum è contra, si feudum per se alienetur, ista alienatio non sustinebitur ea ratione, quasi fructus tantummodo alienatos esse censeretur. vid. *Rosenth. l. c. concl. 9. n. 2.*

S. Quæ-

Quæritur ulterius quamdiu talis de Fructibus feudi ab alio percipiendis dispositio valeat? Communis ac unanimis serè Feudistarum conclusio est, concessionem perceptionis fructuum sine Domini consensu tertio quocunque titulo à Vasallo factam cum hujus persona expirare, nec liberis ac successoribus, multo minus ipsi Domino præjudicare, v. Struv. in *S.l.F.l.c.n.2.* Matth. de Afflictis *ad text. 2. F. 45. n. 16. §. ad 2. F. 55. n. 12.* Menoch. *Conf. 105. n. 89.* Carol. Ruinus *lib. 1. Conf. 176. n. 13. 18. cons. 217. n. 3.* Roland. *l. 1. Conf. 80. n. 35.* Clar. *S. feudum. g. 31. num. 9.* Rosenthal. *d. cap. 9. concl. 10. n. 5.* Sed forsitan magis fundata in jure est opinio distinguentium inter filios & agnatos. Illi cum in feudo successuri regulariter non aliter admittantur, quam si delatæ sibi hereditati, paternæ quoque sese immisceant, 2. *F. 45. §. 1. §. 4. §. B. Dn. Lauterb. de Transit. Act. lib. 13. Struv. l. c. c. 19. aph. 11. §. c. 41. aph. 30.* Tabor. *de Obligat. Success. in Offic. c. 5. membr. 22.* adeoque tanquam hæredes, & quidem necessarii (ex necessitate scil. hypothetica) factum defuncti præstare cogantur. *l. 14. C. de R. V. sane etiam præsentem in casu patris sui factum contravenire nequeunt. vid. Dn. Titius l. c. cap. 15. §. 19. conf. cap. 23. §. 30. 31. 32. 33.* Hi verò, agnati scil. cum licet repudiata hereditate in solo feudo succedere queant tanquam successores singulares, quotiescunque tales tantum sunt (sunt autem regulariter cit. *text. 2. F. 45.*) dispositionem antecessoris sui ratihabere non tenentur, & per consequens hujus facti jus percipiendi fructus adimmi illis nequit. Hinc & successorem feudi singularem locationi stare non teneri in terminis decidit B. Lauterbach. *ad tit. Loc. Cond. lib. 24. §. 64.* & rectè satis, posita illa communi sententia, conductio-rem à successore singulari expelli posse per *l. 9. C. L. C. quam contra Zollium vindicavit Zaunschliefferus vid. Dn. Stryk. de Act. Forens. investig. Str. 1. membr. 6. §. 53. conf. omnino Dn. Hert. de Pa-rem. Jur. Germanici Lib. 1. Par. 46.* Caterum quando successor feudalis colonum expellit, hic feudum ita restituere debet, ut etiam fructus pendentes illi cedant, partim quia sunt pars fundi restituendi. *l. 44. §. 1. de R. V. l. 20. §. 1. de A. E. V. l. fin. §. 6. §. 7. que in fraud. credit. partim etiam quia colonus perceptione fructus acquirit, & ante illam in hos nihil juris habet. l. 66. §. 5. loc. cond. l. 26. §. 1. h. 61. §. 5.*

et de furt. Jam verò non potest percipere finita locatione, & jure suo extincto, vid. Dn. Coccej. in disput. *de jure feminis sect. 3. §. 3. 9.* Quod autem attinet hæredes allodiales, hi quidem colono expulso futuri temporis mercedem remittere, non tamen regulariter, quia feudum locatum ex juris necessitate ad successores res feudales transfertur, interesse præstare tenentur. arg. illorum quæ de hæredibus usufructuarii tradit B. Dn. Lauterb. l. c. 11. 68. Atque hæc omnia, quæ de agnatis hæctenus diximus, multo magis in casu feudi domino directo aperti procedunt.

§. 13.

Communia fructuum feudi, quæ scilicet tam ad nascituros, quam natos pertinent, vid. supr. §. 6. in pr. ad tria potissimum momenta revocari poterunt, quorum primum est, quod debita propter fructus feudi vel natos in commodum usum convertendos, vel nascituros rectè & utiliter percipiendos, à Vasallo contracta pro oneribus feudaliibus haberi non debeant. Struv. in S. I. F. c. 14. aph. 16. n. 2. Hinc frustra disputatur, an e. gr. illi, qui semen ad agros feudales seminandos subministrarunt, inter creditores feudi prælationis jure gaudeant. vid. Titius l. c. c. 20. §. 18. seqq. ubi præjudicium pro affirmativa sententia à Carpz. P. 2. Jurispr. For. Cæs. 25. Def. 1. in fin. adductum sub censuram vocat. Tale enim debitum propter fructuum perceptionem, non verò ipsius feudi conservationem contractum est revera allodiale, & per consequens inter onera feudalia plane non collocari, multò minus cæteris, quæ talia sunt, præferri debet, etsi vel maxime concedi posset, quod illi, quorum res aut pecunia in utilitatem ipsius feudi versa est, in concursu omnes alios creditores feudales etiam hypothecarios vincere debeant. vid. Carpzov. l. c. & in tract. de Oner. Vas. Feud. Dec. 5. Post. 2. Struv. in S. I. F. c. 14. aph. 33. n. 1. in cuius tamen asserti veritatem jam non inquirere vacat, præsertim cum illud argumentum de concursu & prælatione creditorum Vasalli allodialium & feudaliium multum difficultatis habere, & peculiarem forte disquisitionem mereri videatur. vid. tn. Tit. l. c. §. 26. seqq. Facilius quidem largiemur, quod impensæ in fructus ultimi anni à defuncto Vasallo, aut hujus hæredibus allodialibus factæ ad onera feudi referri debeant cum Müller. in Resolut. March. Ri. 62. n. 69. Coccej. in Hyomn. I. F. l. 9. §. 4. num. X. Certum est enim, quod illi à domino directo pariter ac successoribus feu-

feudalibus vel ope retentionis. vel etiam mediante speciali actione. conditione scilicet. ex moribus feudalibus repeti possunt. vid. Excell. Dn. Praeses de *Meliorat. Feud. c. 4. ibes. 11. seqq. usque ad fin. Secundè* etiã ipsa feuda sub generali hypotheca sive expressa sive tacita de jure communi (de Saxonico vid. Carpzov. de *Oser. Vasalli Feud. decad. 3. Struv. in S. I. F. c. 14. apb. 27. & novissimè Titius l. c. cap. 19. per. tot.*) non veniant, nisi specialiter exprimantur, Dn. Stryk. in *Ex. l. P. c. 21. q. 21. it. de cautel. contract. sect. 2. c. 5. §. 8. d. sp. de obligat. feudic. consens. manit. cap. 1. n. 52. seq.* adhibito scilicet. domini directi & agnatorum consensu: aliud tamen obtinet in fructibus feudalibus tam nascituris quam natis Carpz. in *Jurispr. Forens. P. 2. c. 25. def. 3. Stryck. cit. quest. in fin. dummodo non adsint debita feudi legalia vel conventionalia, quorum in præjudicium pignus generale ad fructus extendi nequit. Idem est si feudum ad agnatos, qui non simul sunt hæredes, vel etiam dominum directum devolvatur. Tunc enim ut pignus ratione fructuum feudaliū propter resolutum jus debitoris resolvatur & expiret necesse est. Carpz. l. c. n. 3. Tit. l. c. §. 34. 35. Tertio ad communia pertinet, quod ob debita Vasalli non quidem regulariter in ipsum feudum, bene tamen in hujus fructus immisso fieri licetè possit, prout pluribus explicat Struv. in *S. I. F. c. 14. apb. 31. 32.* Diximus autem regulariter. Exceptio enim videtur admittenda illis in feudis, ex quibus res alienum Vasalli deficientibus bonis allodialibus solvi debet, qualia sunt Pomeranica, Mecklenburgica, & olim quoque fuerunt Marchica teste Illustr. Mev. in *Discurs. Livam. inop. debitor. c. 7. n. 185.* Dn. Stryckio de *cautel. contract. sect. 2. cap. 5. §. 8. cum allegat. conf. Struv. in Observ. Feudal. ad c. 14. Observ. 22. 24.* Hæc enim quoniam speciali lege ac consuetudine ita jam sunt informata ac comparata, ut creditoribus allodialibus in subsidium satisfieri inde debeat; sane nullum præjudicium dominus directus vel etiam agnati allegare possunt, si iudex ordinarius, etiam horum consensu non impetrato, dictos creditores in feudum ipsum immittat, præsertim, cum novum jus in re creditoribus constituatur, sed saltem id, quod jam ante ex speciali legis dispositione ipsis competeat, legitime declaretur, inque suum effectum deducatur. De cætero plurimum interest, an saltem in fructus, an vero ipsum feudum fiat immissio. Priori in casu consequitur immissus pignus quidem*

dem judiciale, sed saltem allodialie, quod operatur respectu a.) Vasalli quidem, ut hic beneficio competentia non gaudeat Carpzov. l. c. Def. 6. nec ad onere praestandorum servitiorum liberetur, etsi immisus propter inopiam Vasalli huic sumptus ad illorum exhibitionem necessarios subministrare debeat arg. c. si propter tua, de Rescript. in 6. Kohl. de servit. feud. P. 1. n. 70. 78. seqq. Neque inde praesudicium contingit creditori, qui eo diutius feudi proventibus frui potest. Non verò operatur istud pignus (a respectu ipsius fundi feudalis, qui distrahi nequit, nec (b) ratione domini directi vel agnatorum, quippe qui ad solutionem debitorum Vasalli, ob quæ immisus in fructus feudi fit, non tenentur, nec (c) respectu creditorum feudalium licet simplicium. Hi enim jus, ipsum feudum efficiens, habentes creditoribus allodialibus omnino sunt preferendi. Sed hæc omnia aliter procedunt posteriori in casu, quando creditores in ipsum feudum, ob debita scilicet feudalialia, immisus fuerunt. Tunc enim habent pignus judiciale feudale, vi cuius feudum rectè distrahitur. Nocet quoque illud pignus (1.) domino directo, etsi hic, salvo creditorum jure, novum quem voluerit, Vasallum investire possit, quam in rem notabilis existat decisio ap. Mev. P. 1. D. 209. item (2.) agnatis, qui tamen feudum distractum ex capite retractus, non verò gratis jure devolutæ successione revocare poterunt, quia posterius per alienationem necessariam excluditur Mev. Conf. 39. num. 91. Struv. in S. I. F. cap. 13. aph. 19. num. 4. Nocet denique (3.) immisus in ipsum feudum facta, & per hanc constitutum pignus feudale ceteris creditoribus non solum allodialibus, sed etiam feudalibus, etsi prioribus, si scilicet hi anteriorem hypothecam non habeant. vid. Tit. l. c. c. 20. §. 10. § 25,

§. 14.

Pergimus ad secundum feudi statum, quatenus illud sc. ad successorem feudalem devolvitur, id quod fit dupliciter, vel sine, vel ex facto antecessoris. Quando sine facto prioris Vasalli propter hujus sc. mortem successio feudalis contingit, id saltem h. l. in quaestionem venit, cuiusnam fructus eo anno, quo Vasallus mortuus est, vel nascitur, vel etiam in herbis existentes, vel denique, (qui ab his omnino differunt vid. Excell. Dn. Harppr. in disp. de jur. circa Nov. thes. 6. p. 8. in fin. seqq.) jam pendentes (separatos enim ad hæredes allodiales spectare planum est, Schultz. in syn. I. F. c. 8. n. 272.) ad iudicandum

candi veniant, an dictis hæredibus allodialibus, an verò successoribus feudalibus? Si secundum jus Civile pronuntiandum hieset, sane posterius indistinctè affirmandum foret; idque propter generale ilud & superius jam inculcatum juris principium, quod fructus pendentes sint pars fundi; adeo ut ex ratione juris Romani dubitandum non sit, quin, uti totum feudum, ita quoque ejusdem pars fructus scil. fundo feudali coherentes, statim atque mortuus fuerit Vasallus, hujus successori per transitum quandam dominii legalem acquirantur. vid. l. 42. *π. de usufr.* Nec obstat quò fructus industriales, quod hi propter curam & culturam defuncto Vasallo, in cujus jus hæredes allodiales succedunt, deberi videantur. Constat enim ex l. 25. §. 1. *π. de usufr.* quod quotiescunque jus soli cum jure seminis concurrat, in acquirendis fructibus non hoc ex quo oriuntur, sed illud, ex quo percipiuntur, inspicere debeat. vid. Coccej. *de Jure seminis sect. 1. §. 3. seqq.* ubi de æquitate *cit. l. 25.* contra Pufendorfium pluribus eruditè differit! Jam verò etiam contra illam juris Romani dispositionem, juxta quam fructus ultimi anni nondum separati sine ullo discrimine successoribus feudalibus cedere debebant, nullus in jure feudali specificus textus occurrit: nihilominus tamen, cum *l. F. 45.* quædam fiat relatio ad *l. F. 28. §. His consequenter.* vid. Rosenth. in *Synops. J. F. c. 10. conclus. 42. num. 41. 45.* hujus textus decisionem priorem scil. (posterior enim obiter tantum & quasi particularis quorundam sententia in terminis merè narrativis proponitur Bitsch. *ad cit. text. notab. 9. p. 542.* vid. tamen Molin. in *Consuetud. Paris. t. 1. §. 1. n. 11.* Bachov. *ad Treutl. vol. 1. d. 16. ib. 9.* Dd. ap. Hartm. Pistor *L. 1. q. 24. n. 47.* Sande in *Comment. ad Consuet. feud. Geldr. tit. 2. c. 5. §. 1. n. 5.*) etiam illo in casu, quò feudum mortuo Vasallo successoribus deferretur, attendendam esse communiter placuit teste Thom. Michaël. ap. Klock. *T. H. conclus. 35. quest. 2. num. 5.* add. Brunn. *Cent. 2. D. 37. Carpzov. P. 3. Const. 32. def. 9.* Rittershus. *L. 2. Partit. Jur. Feudal. c. 6. q. 34.* Köppen. *P. 1. D. 30. num. 4.* ubi hanc communem & in foro receptam sententiam facultatis Francofurtanæ responsis aliquoties confirmatam esse scribit. Ante omnia tamen respiciendum hic erit ad speciales locorum consuetudines; Sic e. gr. in Pomerania jus commune custoditur Dn. Stryk. in *Ex. J. Feud. c. 15. quest. 14.* nimirum, si filius non adsit. Hoc enim deficiente hæredes allodiales filii scil. nec non viduæ ex speciali Pomeraniæ consuetudine

in feudo habent annum gratiz, adeoque omnes hujus anni fructus indistinctè lucrantur. Dn. Stryck. *vol. 1. Diss. 16. de Anno Gratiz cap. 4. n. 11. seqq.* In Marchia veteri, media & nova, quinam terminus observetur latè tradunt Scheplitz. ad *consuetud. Marchic. P. 3. t. 3. §. 7.* Köppen, *l. 6. n. 45.* Kohl. ad *Constit. Marchic. quest. 9. n. 9.* Müller. in *Resolut. R. 74. n. 11. usque ad n. 16.* In Saxonia quà fructus industriales ultimi anni vel hæredibus allodialibus vel successoribus feudalibus adjudicandos ad culturam, occasionem ac pastinationem respicitur, & sic jus feminis juri soli præfertur. vid. Struv. in *S. I. F. c. 15. apb. 16.* Cæterum deficiente particulari consuetudine, juris Feudalis Longobardici dispositio in *text. 2. F. 28. §.* *Hic consequenter non est deserenda.* Nam qui illam irrationabilem dicunt, parum rationis habere pluribus patebit ex infra dicendis §. 21. *seqq.* in quibus, quæ de domino directo in casu feudi sine culpa Vasalli aperti fructus lucrante exponemus, etiam ad successores feudales propter mortem Vasalli succedentes & quoad civiles & quoad naturales fructus mutatis mutandis applicari, adeoque quasi hic verbotenus inserta essent, debent, id quod in antecessum semel nonuisse sufficiat.

§. 15.

Sunt tamen nonnulla, quæ circa fructus feudi ad agnatos mortui Vasallo jure successionis pervenièntis singulariter notari merentur. Ac primo quidem interest, an successor feudalibus sit filius, an verò agnatus. *Ite,* quia est simul hæres allodialis, & quidem, ut supra diximus, certo respectu necessarius, ut in acquisitionem fructuum ultimi anni, qui pro ratione temporis hæredibus allodialibus cedunt, pro portione sua hæreditaria concurrat, necesse est. *Hic* verò tanquam successor singularis quæ talis ab hæredibus allodialibus nihil ex dictis fructibus prætereundè potest, quamvis è contra si hos illis exclusis in totum lucretur, debita hæreditaria Vasalli inde solvere teneatur. Neque enim *textus 2. Feud. 45.* quæ partem priorem aliter intelligi potest, quam quod agnatus etsi separato allodio jure singulari in feudo succedens, ad debitorum hæreditariorum exsolutionem non sit obstrictus vid. Struv. in *S. I. F. c. 14. apb. 29.* è fructibus tamen à defuncto Vasallo relictis h. e. ultimi anni, illius creditoribus satisfacere debeat, nimirum si istos fructus pro ratione temporis, juxta dispositionem *2. F. 28. §.* *Hic consequen-*

ter &c. computandi, acquirat. *Secundo* notandum, quod succes-
 sores feudales alicubi locorum fructus feudi, quancumque mor-
 tuus fuerit Vasallus, hæredibus allodialibus per certum temporis
 spatium relinquere teneantur. Jam enim supra diximus, quod in
 Pomerania filiabus & viduar, si nullus filius adsit, in feudo annus
 gratiæ hodie competat. Quò sit, ut istæ personæ statim ab eo die,
 quò moritur Vasallus, usque ad anni & unius diei lapsum omnes
 utilitates, quæ ex feudo proveniunt, irrevocabiliter acquirant, vid.
 Dn. Stryck. in *disp. de anno gratiæ, c. 4. per tot.* Simile quid observatur in
 Ducatu Mecklenburgico, in quo (uti olim quoque in Pomerania ex
 dispositione Ducis Ottonis de anno 1464. cujus verba vid. ap. Mev.
Conf. 38. num. 45.) filiz, non exstantibus fratribus, à quibus aliàs
 ratione bonorum feudalium excluderentur, vi singularis privilegii
 feuda paterna ad dies vitæ retinent, iisque fruuntur, teste Struv. in
Observat. Feudal. ad S. l. F. c. 9. Observat. & in Centur. Decis. An res
feudales vel allodial. Dec. 76. conf. Cothm. Vol. 3. Resp. 15. Et hinc
 forte est, quod Limn. L. 5. *Jur. Publ. c. 10. n. 7.* Myler, de *Princip.*
Imper. c. 24. asserant forminas in feudis Mecklenburgicis succedere,
 et si propriè loquendo hoc ita non sit, cum ista fructuum perceptio
 qua filiz Mecklenburgicæ gaudent, non jure successionis, sed po-
 tius jure usus fructus legalis censei debeat, conf. Dn. Stryck. in *Ex.*
l. F. c. 15. q. 12. An verò olim secus obtinuerit, & dictæ filiz revera
 successerint, nos quidem latet. Sane Pontanus L. 9. *H. st. Danic.*
ad Ann. 1397. refert, quod femina nobiles ad liberandum Megapo-
 litanum Ducem Albertum cum filio Erico à Margaretha Daniæ Re-
 gina captum lytrum contulerint, & in vicem beneficii successionem
 in feudis ditionis Megapolitanæ impetraverint. Denique *tertio*
 omittendum non est, quod, et si successores feudales, si fructus ulti-
 mi anni acquirant, hæredibus allodialibus, vid. *supr. §. 13. n. 1.* non ta-
 men contra hi, dictos fructus lucrantes, illis impensas restituere de-
 beant, propterea quod successores feudales in Vasalli defuncti jus
 hæreditarium, ad quod istarum expensarum exactio pertinet, non
 succedant, vid. Merkelbach. ap. Klok. l. c. *cons. 36. quest. 2.* Multo minus
 ægnati ab hæredibus allodialibus, fructus ultimi anni acquirenti-
 bus, semen ad agros feudales iterum conferendos petere possunt,
 vid. præjudicia ap. Struv. in *Observat. Feudal. ad c. 15. Obs. 8.* & in
Centur. Decis. Quenam res sint allodial. Sc. D. 57. add. Dec. 18. 19.
 §. 16. Si

§. 16.

Si feudum facto antecessoris ad successores feudales perveniat, vid. §. 14. in pr. videndum, an hoc fiat propter illius feloniam, an verò propter alienationem consentiente domino directo factam. Si propter feloniam Vasalli, agnati succedant, etiam ratione fructuum his restituendorum interest, an illa sit commissà in ipsum dominum directum, an vero extraneum. vid. B. Dn. D. Grave in *disput. de Felon. cap. 5. per tot.* Priori in specie cum feudum, si sit antiquum, statim atque Vasallus, qui deliquit, ejusque filii decesserint, à domino directo agnatis sit restituendum, Struv. in *S. I. F. c. 15. th. 1. 2.* B. Dn. Grave, *l. c. p. 34. seqq.* (Dissentit novissimè Fr. Gall. *de Fruct. disp. 27. art. 1. n. 13.*) adeò, ut *his* competat rei vindicatio propter jus successionis transitum domini legalem secum ferentis, vid. B. Dn. Fromm. in *disput. de Transit. domin. legal. th. 39.* Ille verò à tempore mortis in mala fide constituatur: factis intelligitur, quod dominus directus tanquam malæ fidei possessor in omnes fructus, quos, Vasallo, qui feloniam commisit, ejusque filiis mortuis, percepit, consumpsit & percipere potuit, condemnari debeat. *Posteriori in specie distinguendi iterum sunt casus.* Aut enim 1. propter feloniam in extraneum commissam, feudum venit ad dominum directum, id quod per modum tamen exceptionis contingit e. g. ob crimen fractæ pacis publicæ, ita scilicet ut post mortem banniti ejusque filiorum agnatis jus successionis integrum maneat. vid. Excell. Dnn. Dd. Grafs. & Fromman. Patroni ac Præceptores nostri colendissimi, *de Reditu domini legal. Disputat. 2. thes. 21. in fin.* Cui consequens est, quod in hoc & simili casu, quando agnati à domino directo feudum repetunt, circa restitutionem fructuum idem juris sit, quod in proximè præcedentibus traditum fuit. Aut 2. feudum statim atque delictum à Vasallo in extraneum fuit perpetratum agnatis defertur, uti quidem (si illud non sit hæreditarium. vid. Struv. *l. c. aphor. 15. num. 5.*) sit regulariter e. gr. ob commissum parricidium, 2. F. 24. §. f. 2. F. 17. nec non ob nimiam in subditos sævitiam 2. F. 27. §. 7. vid. Andler in *Jurispr. L. 1. t. 5. P. 11. n. 20. seqq.* ubi præjudicium habet. Sed quosnam tunc fructus agnati à Vasallo petere possint, paucis admonendi sumus. Illud quidem certum est, quod fructus ante commissam feloniam à Vasallo tanquam justo possessore percepti, etsi à solo separati nondum sint reconditi, arg. *l. 25. §. 1. in*

in fin. de usur. nihilominus tñ. relinqui illi debeant. vid. Rosenthal. in S. I. F. c. 10. concl. 42. n. 27. 28. ibi que lit. aa. Quod autem attinet fructus post feloniam perceptos, vix erit ambigendum, quin, quemadmodum etiam præfenti in casu utile feudi dominium propter jus successionis ex prima investitura quæsitum ipsa legis potestate transit in agnatos, ita hi quoque omnes fructus tempore commissæ felonix pendentes & postea perceptos sive exstantes sive consumptos una cum percipiendis à Vasallo, qui deliquit, tanquam malæ fidei possessore mediante rei vindicatione consequi valeant. Aliter quidem ex parte sentit Struv. in S. I. F. c. 15. apb. 16. n. 1. p. 581. pr. qui existimat, agnatos, si feudum propter feloniam in extraneum commissam statim acquirant, non alios fructus petere posse, quam qui Vasallo sine filiis mortuis ad illos cum ipso feudo transferuntur: reliquos vero ad dominum directum spectare. Quo admissio sequeretur ex mente Struvii, quod juxta dispositionem 2. Feud. 28. §. His consequenter. si Vasallus feloniam commisisset ante Martium, vel etiam post Augustum domino directo; Si verò mense Martio & seqq. usque ad Augustum inclusivè, agnatis cederent fructus feudales. Sed liceat dubitare, an hæc Struvii sententia de juris veritate subsistere possit, præsertim quia tunc, quando Vasallus in extraneum deliquit, dominus directus nullum plane jus habet in ipsum feudum; ergo nec habebit in fructus, qui ex illo proveniunt. arg. l. 22. §. de Usur. ex cujus etiam ratione merito inferimus, quod nec fidei præsuppositis in terminis, vivente licet Vasallo, commoditates feudi vindicare sibi possit. Rosenthal. in S. I. F. c. 11. concl. 11. num. 10. Dissent. Surd. de Aliment. t. 8. privileg. 59. num. 13. Peregr. de jure Fisc. L. 5. t. 1. num. 11. Fr. Gall. l. c. disp. 27. art. 1. num. 15. ex isto præsupposito, quasi agnati demum post mortem Vasalli, qui delictum non feudale commisit, ad successionem vocentur, id quod tamen negandum esse, ex iis, quæ in pr. hujus §. dicta sunt, satis apparet. Multò minus audiendi sunt illi, qui ipsum feudum propter delictum Vasalli commune e gr. incestum, in fideum redigi posse & sic illius utilitates ad hunc pertinere statuunt; etsi vel maxime verum esset, quod tunc Vasallus suo jure cadat. vid. Struv. in Syntagm. l. F. cap. 15. apbor. 10. num. 3. Rosenthal. l. c. num. 2. seqq. ejusque bona allodialia confiscationi sint obnoxia. vid. omnino Brunn. Cent. 2. Decis. 23. Sive enim dominus fidei sit dominus directus, sive non, feudum publicationi non subjacet, cum neuter eorum jus agnatis quæsitum intervertere

D

pos-

possit, nisi vel illud sit mere hereditarium vid. Rosenth. l. c. concl. 12. vel etiam Vasallus in extraneum tale delictum commiserit, propter quod feudum ex legis dispositione domino fisci non quidem quâ tali, sed qua domino directo aperitur, quale est, uti supra indicavimus crimen fractæ pacis publicæ, nec non crimen perduellionis. Capit. Leopold. art. 27. Joseph. 26. Exemplum vid. ap. Pufend. Rerum Braun-
denb. L. XI. § 46. § 17.

Quæ hæcenus de fructibus feudi agnatis succedentibus propter feloniam Vasalli ab hoc vel etiam domino directo restituendis dicta sunt, aliter sese habent, si successio feudalis contingat propter alienationem consentiente domino directo factam; (vid. ib. 14. pr.) ubi quidem distinguendum est, an feudum ita alienatum repetatur jure devolutæ successions, actione scilicet revocatoria (quæ est ipsissima rei vindicatio propter dominium feudi, quod ipso successions jure in agnatos revocantes transit, statim atque alienator ejusque filii, qui factum patris ratihabere tenentur Struv. l. c. c. 13. aph. 16. num. 6. conf. tamen Tit. im Deuffsch. Lehn-Recht. c. 17. § 27. seqq. mortui fuerint. Antea enim jus revocandi de jure communi locum non habet Struv. l. c. num. 2.) an vero illud fiat jure retractæ. Primo in casu, si quæzatur, an & quinam fructus restitui debeant, videndum est, an illi percepti fuerint alienatore ejusque filiis superstitibus, an vero iisdem mortuis. Si primus præsupponimus, quod alienatio feudi consentiente domino directo facta, etsi, postquam alienans ejusque descendentes in vivis esse desierunt, sit revocabilis seu rescissibilis, non tamen nulla, sed potius uti licita ita quoque valida censeri debeat, & quidem adeo valida, ut is, in quem transfertur feudum, & fiat, & per dictum temporis spatium maneat dominus. Cui consequens est, quod possessor feudi consentiente domino directo alienati, quoscunque fructus, Vasallo alienatore ejusque filiis noadum mortuis, acquirat, certissimo & irrevocabili dominii jure sibi retineat, idque verum ex stimamus, sive sciverit, sive ignoraverit, agnatorum consensum non fuisse adhibitum. Quanquam enim ille, qui scil. si vivit, à nonnullis Dd. malæ fidei possessor appellatur, hic vero omnes indistinctè fructus restituere teneatur l. 22. C. de R. V. constat tamen, quod posterius intelligendum saltem sit de simplici & strictè sic dicto malæ fidei possessore, qui nempe non est verus dominus, sed pro eo malignè se gerit l. 3. C. de Condit. ex Leg. Sin autem posterius con-

contigerit, locum habet distinctio, an possessor feudi, (qui post obitum alienatoris ejusque descendendum dominus esse definit, quia hi tunc domini esse incipiunt, duo autem non esse possunt in solidam unius rei domini l. 5. §. fin. n. Commod.) sit in mala fide, h. e. sciverit se non amplius esse dominum, an vero in bona fide. *Ille* omnes fructus non solum tempore mortis dictarum personarum pendentes, sed etiam post illam perceptos, sive exstantes sive consumptos, una cum percipiendis arg. l. 22. C. de R. V. hic verò, consumptis irrevocabiliter acquisitis, prater pendentes percipiendos à tempore litis contestatz, (vid. præjudicium ap. Struv. l. c. aph. 17. n. 5) perceptos autem quoscunque restituere tenebitur, exceptis tamen exstantibus separatis jam usucaptis. Usucapti autem sunt, si per triennium bona fide possessi fuerint. Quamquam enim non dubitemus, quin de jure feudali Longobardico ipse fundus feudalis cum consensu domini directi alienatus contra agnatos non nisi lapsu 30. annorum, à tempore delatz successione computandorum præscribi à possessore possit, propterea quod apud Longobardos in omnibus præscriptionibus longissimum tempus fuerit necessarium, uti patet ex LL. Longobard. l. 2. §. 35. c. 5. hoc tamen non obstare videtur, quo minus fructus feudi separati, qui secundum ea, quæ supra jam monuimus, jure rerum allodialium censesi debent, intra tempus jure Civili ad rerum mobilium usucapionem præfixitum h. e. triennium, cæteris paribus rectè præscribantur.

§. 18.

Secundo in casu, quo feudum licitè alienatum jure retractus, pretio scil. possessori refundendo, vel à filiis, vid. latè Dn. Stryck. de Success. ab Intest. D. ff. 6. c. 2. §. 14. seqq. vel etiam agnatis intra annum à die specialis scientiæ computandum Mev. in Cons. 38. n. 16. & Cons. 39. num. 84. repetitur ex 2. F. 26. §. Titius, quinam fructus retrahenti restitui debeant? non ad hoc expeditum est. Potest autem hæc quaestio dupliciter intelligi: Aut enim quaeritur l. de fructibus eo tempore, quo filius vel agnatus retrahere incipit, pendentes, quos retrahenti, seu vero emptori indistinctè adjudicandos esse in puncto juris verius existimant Zoës. de Retract. num. 27. Fab. de Err. Pragm. dec. 10. c. 2. id quod admitti forte poterit, si isti fructus tempore primæ venditionis jam steterint. Quoniam enim

enim fructus pendentes augment rei venditæ pretium arg. l. ult. §. 6. *τ. de bis, que in fraud. credi.* post Mant. B. Dn. Lauterb. ad tit. de C. E. V. th. 57. add. Fr. Gall. de fruct. disp. 14. art. 2. n. 15.) ad hoc vero in puncto restituendum teneatur retrahens, sane nihil potest esse æquius, quam ut res in eodem statu, qualis erat tempore primæ venditionis recipiatur, vid. Stryck, l. c. cap. 4. th. 11. quemadmodum è contra, fructus tempore coepti retractus stantes, si tempore prioris contractus nondum pependerit, una cum fundo non aliter vindicare sibi poterit retrahens, quam si hic pro illorum quantitate & qualitate plus offerat possessori. Sed de his hodie gratis fortè disputatur, cum communis & jam recepta sit sententia, quod fructus tempore retractus pendentes pro rata anni inter possessorem & retractentem dividendi veniant ex l. 7. §. 1. *τ. solut. matrim.* uti post alios à se allegatos testatur Müller. ad Struv. S. I. C. Ex. 23. d. 63. lit. x. p. 1578. Dn. Stryck. d. l. th. 13. Aut queritur 2. de fructibus post pretium à retrahente oblatum à possessore perceptis, quos non ad illum, sed hunc pertinere, affirmare non veremur. Quemadmodum enim concedi hætenus potest, quod per oblationem pretii possessor feudi retrahendi constituatur in mora Dn. Stryck. l. c. th. 10. pr. quæ fructus pariter ac usuras in obligationem deducit: ita quoque certum est, quod posterius accipiendum saltem sit de bonæ fidei, non verò stricti juris actionibus l. 38. §. 7. *τ. de usur.* ceu in quas demum post litem contestatam fructus veniunt. vid. supr. §. 5. Atqui cum ista actio, qua mediante feudum retrahi potest, nimirum condictio ex lege & quidem 2. F. 26 §. Titius. Dn. Stryck, l. c. §. 5. sit stricti juris, (omnis enim condictio ex lege talis est, B. Dn. Frommann. in disp. de Diff. Act. b. fid. §. strict. jur. th. 10.) rectè quoque statuitur, quod is, à quo feudum dicta actione instituta repetitur, non alios fructus quam post litem contestatam perceptos restituere cogendus sit. Et hæc nostra sententia eadem est, quam Dd. à dissentiente Dn. Stryck, l. c. th. 10. allegati defendunt.

§. 19.

Occasione illorum, quæ in §. præced. de fructibus feudi pendentes in casu retractus legalis restituendis dicta sunt, non incongruè queri simul posset, quid juris circa illos sit, si feudum repetatur mediante retractu conventionali, qualis, vocabulo latius sumpto etiam is est, qui ex pacto retrovendendo competit Struv. in S. J. C. ad tit.

tit. 7. de Leg. Commissor. l. 40. Neque vero probare possumus doctrinam Berlichii in *Conclus. Pract. Part. 3. conclus. 43. num. 8.* qui quando illud sit, ratione fructuum stantium locum facit dispositioni 2. F. 28. §. Hs Conseq. Sane hic textus, tanquam correctorius (corrigit enim jus Civile, secundum quod fructus ultimi anni pendentes indistincte ad ipsius fundi dominum pertinere jam supra scripsimus) strictè accipiendus est, & procedere solum debet in terminis de quibus loquitur, nempe, quando feudum morte Vasalli vacat. Fr. Gallus de *Fruct. D. sp. 27. art. 2. num. 12. fol. 621. in fin.* Unde etiam cit. text. 2. F. 28. §. Hs consequent. ad casum feudi cum pacto de retrovendendo venditi plane applicari non posse contra Berlichium rectè docet Dn. Schilt. in *Prax. art. Anal. in Jur. P. 3. c. 6. §. 39.* Non enim dubitandum est, quin dicto in casu decisio petenda sit ex jure communi, secundum quod fructus tempore retrovenditionis pendentes semper ad redimentem spectare existimant Dn. Schilt. l. c. §. 36. Dn. Coccej. in cit. *d. sp. de Jur. Sen. Sect. 2. §. 12.* Quibus accedimus; præsertim si secundus emptor pretium, primo contractu definitum, ratione fructuum pendendum augeat. Hos enim in illius æstimatione considerandos esse, jam supra monuimus. Etsi autem hæc de juris veritate ita sese habeant; cum tamen usus fori jam induxerit, ut etiam tunc, quando fundus ex pacto de retrovendendo restituitur, fructus ultimi anni pro rata temporis ex l. 7. §. 1. 7. solut. matr. dividantur, teste Berlich. P. 2. *co. cl. 2. n. 66. seqq. Carpzov. P. 2. Const. 1. D. 20. n. 5. Lib. 5. Resp. 29 Köppen. P. 1. D. 30. num. 10. Pruckm. vol. 1. cons. 4. n. 190. 191. Dn. Stryk l. c. ib. 13.* consequens est, quod eadem div. sio in casu, quo feudum retrovenditur, attendi debeat Schrader. P. 2. *Part. princ. 9. Sect. 3. n. 171.* Atque hæc, de fructibus feudi, quatenus hoc vel ex vel sine culpa Vasalli ad successores pervenit, dixisse sufficiat. Quod autem attinet feudalia personalia, quæ scilicet cum persona ipsius Vasalli expirant, qualia sunt feudum Soldatæ, de Camera & de Cavena, (sive ut alii scribere malunt, Caneva vid. du Fresne in *Glossar. voce Caneva*) frustra quaritur; an agnati, plane non succedentes, illorum fructus ultimo anno pendentes acquirant, quos, etsi Vasallus de Camera vel Cavena cæpto anno decesserit, nihilominus tamen ad hæredes allodiales pertinere communis fere est Dd. sententia vid. Berlich. P. 3. *concl. 43. num. 39. ibique cit. Dd. Rosenth. c. 10. concl. 42. n. 60.*

§. 20.

Restat tertius feudi jam constituti status, in quem illud per aperturam domino directo vel revocabiliter vel irrevocabiliter factam deducitur. Fit autem hoc dupliciter aut 1. propter mortem aut 2. propter feloniam Vasalli, qui feudum hactenus possedit.

§. 21.

Quando feudum morte Vasalli domino directo aperitur, ad investigandum id, quod circa fructus ejusdem anni, quo mors contigit, juris esse debeat, duo cum primis prænotanda videntur. Ac primo quidem probè distinguendi sunt fructus verè & juridicè tales, à cæteris emolumentis ac utilitatibus in jure consistentibus, quibus Vasallus occasione rei in feudis concessæ simul gaudet, quò e. gr. pertinet jus venandi, quod, nisi valde improprie loqui velimus, ad fructus feudi referri plane nequit, præsertim hodie moribus nostris, quorum universalitate illud regalibus notoriè accensetur; ita ut etiam verior sit sententia statuentium, quod sylva in feudum simpliciter concessa in dubio jus venandi non simul concessum intelligi debeat. vid. Excell. Dn. Præses in *disp. de Clausula Investit. cum pertinentiis* 1b. 33. Equidem ex industria ac labore, quem in actu venationis adhibemus, quatenus per hanc feræ bestia capiuntur & acquiruntur, aliquis fructus nobis obvenit, sed propterea ipsa venatio & occupatio ferarum quæ talis fructus fundi dici nequit. Struv. in *Synt. S. J. C. Ex. 12. th. 16. ubi l. 26. r. de Usur.* ita explicat. Proinde vix audiendi erunt ii, qui in quæstione, an & quamdiu hæredibus allodialibus in eo, quo Vasallus obiit, anno jus venandi, feudo annexum, competat? qui inquam in ista quæstione decidenda ad text. 2. F. 28. §. *His Consequent.* provocant. vid. Berlich. in *Concl. P. 3. conclus. 43. num. 37.* Carpzov. in *Jurispr. For. P. 3. confi. 32. def. 9. n. 9.* ubi tradunt, quod hæredes allodii Vasallo post Martium mortuo per totum annū venari possint, idque ex isto præsupposito, quasi venatio esset fructus & quidem industrialis, quod tamen ita non esse, præter superius dicta ipsius rei evidentia satis demonstrat Potius statuendum videtur, dictos hæredes, quocunque tempore Vasallus decesserit, sine consensu domini directi vel etiam agnatorum (Nam ad hos quoque pertinent, quæ de illo h. l. dicuntur. vid. *supr. §. 12. in fin.*) jus illud nequaquam exercere posse, nisi singulari vel consuetudine vel pacto aliud constitutum appareat. Rationem affer-

asserionis nostræ afferimus hanc, quod ista specialis venandi permissio Vasallo facta revera sit privilegium reale, quod, cum ipse feudum coheredit, e jusque successorem sequatur ac comitetur, sane hæredibus allodialibus, qui in ipsum feudum nihil juris habent, tribui non debet. Idem forte dicendum esset de jure coquendi cerevisiam, quod intuitu ipsius feudi à Principe singulariter impetravit Vasallus (vid. supr. §. 9. in fin.) quanquam & hujus juris exercitium juxta dispositionem 2. F. 28. §. Hæ Consequ. hæredibus allodialibus concedendum esset putet Carpov. l. c. in fin. cujus sententia an ubique in Saxonia vel extra illam obtineat, nos quidem ignoramus. conf. Tabor. de jure cerevis. c. 2. §. 6. Ceterum quæ de jure venandi & braxandi diximus, facilius procedent quàm jurisdictionem feudalem, quæ quod in hæredes allodii quæ tales non transeat, vix quisquam dubitabit. Alia est quæstio an fructus jurisdictionis e. gr. multæ ultimo anno exigendæ ad dictos hæredes pertineant, de qua infra videbimus de fructibus feudi civilibus acturi. Prius autem limitatur, si Vasallus jurisdictionem, quam in feudo exercuit, aliunde quam ex investitura domini directi acquisiverit; quo casu illa, nisi confirmatio accesserit, tanquam res incorporalis per se subsistens hæredibus allodialibus omnino cedit, inque feudi successores plane non transmittitur, uti contra Præpos. Berolj. rectè docent Rosenth. in S. J. F. cap. 10. concl. 43. num. 13. seqq. cæterique Dd. allegati & probati ab Excell. Dn. Præfide de Meliorat. feud. c. 3. §. 14. in fin.

§. 22.

Secundo præmonendum est, sermonem nobis hic esse de fructibus rerum feudalium verè talium, non vero allodialium, quarum fructus an domino directo vel etiam agnatis acquirantur frustra dubitatur. Neque enim his aliæ res, quàm ipsum solum feudale e jusque pertinentiæ, quæ siquid probandæ sunt, mortuo Vasallo cedunt. Hinc duæ quæstiones, inter Dd. non parùm agitatæ, de lana ovium Vasallo defuncto nondum detonsa, & de foetu piscium, an nimirum hi fructus ad feudi, an verò allodii successores pertineant? decidi facile possunt. Nam, ut de lana ovium prius dicamus, aut 1. oves spectant ad allodium, (uti quidem in dubio præsumitur, quia omnis res potius libera, quam feudalis censetur) & tunc lanam eæ fructum rei allodialis & quidem industrialem l. 4. §. 19. r. de Ufarp. Menoch, de A. l. Q. lib. 2. cas. 210. 126. Ursin. Diss. de Lana

5 Lc.

§ Lanificio cap. 1. num. 76. § 77. petere nequeunt successores feudi quâ tales; Si enim simul sint hæredes, ipsæ oves, uti cæteræ res hæreditariæ, pro rata illis acquiruntur. vid. supr. §. 15. pr. Aut 2. certo constat oves esse pertinentias feudi. quo casu propter regulam l. 42. n. de Usur. quod scil. res transeat cum suis fructibus, uti oves, ita quoque harum lana nondum deconsa fructus pendens instar ad successores feudi in totum pertinere videri poterat, nisi fortè & hic ad tempus mortis Vasalli juxta dispositionem 2. F. 28. §. Hæ Consequ. respiciendum dixeris cum Berlich. P. 3. concl. 43. n. 35. Menoch. d. l. & Ursino d. D. sp. de Lana § Lanificio c. 5. n. 25. sed vid. Responsum Facultatis Jenensis ap. Struv. in Observ. ad S. J. F. c. 15. Obs. 10. § Disp. de Jur. Ov. ib. 22.

§. 23.

Quod attinet secundam quæstionem de foetu piscium, eadem fere distinctione, qua in §. præced. usi fuimus, opus erit. Sciendum tamen est, non quæri, h. l. de piscibus custodiæ causa piscinis immissis, quos tanquam res allodii ad hujus hæredes, non vero dominum directum vel successores feudales pertinere arg. l. 15. n. de Ac. E. F. omnes concedunt Berlich. P. 3. concl. 45. num. 18. Rosenthal. in S. I. F. c. 10. concl. 42. num. 61. Sed saltem de iis piscibus, qui multiplicationis ergò in piscinis, vel etiam stagnis aptatis aluntur, horumque foetu, ad quemnam scil. eo anno, quo Vasallus decessit, spectet, variè controvertitur inter Dd. vid. Berlich. l. c. num. 19. seqq. Equidem in Saxonia, ubi lapsò demum triennio piscationes fiunt, recte Berlich. l. c. num. 25. in fin. longa respondendi consuetudine jam invaluit & recepta est distinctio, an tempus mortis Vasalli propinquius sit piscationi, an vero immissioni piscium; ita ut in primo casu hæredes allodiales, secundo autem successores feudales piscari possint, quia hic, non vero illic pisces pro parte piscinæ habentur. Dn. Lynk. in Anal. ad Struv. S. I. F. c. 15. apb. 16. num. 3. p. 129. Richter. P. 1. Dec. 56. num. 89. ubi simul duo præjudicia assert. add. Carpzov. P. 3. Consi. 32. des. 27. 28. Struv. in Cent. Deck. quænam res sint allodial. §c. Dec. 8. ubi in fin. additur, quod hæredes, si pisces eximant, alios immittere debeant. Quamquam autem hæc ita apud Saxones observentur, optimisque rationibus niti possint: in aliis tamen provinciis non statim eadem obtinere debent, sed potius ex analogia juris communis, ubi illud sequitur, distinguendum vi-

detur cum Dn. Coccej. in *disp. de Jure Seminis Sect. VI. §. 23.* an Vasallus pisces propaginis causa piscinae ipse immiserit, an verò tales à domino directo in feudum simul acceperit. Si prius, non dubitandum est quin & ipsi pisces, & quicquid inde natum fuerit, ad Vasalli alodium ejusque hæredes pertineant. Omni enim juri Naturali pariter ac civili consentaneum est, quod foetus ventrem sequatur, hujusque domino acquiratur §. 19. l. de R. D. l. 1. §. 1. ff. de Ventr. in-
 flic. vid. laudatus Da. Coccej. l. c. Sect. 1. n. 9. §. 10. quæ etiam ratio efficit, ut cæterorum animalium e. g. equarum, vaccarum, apum &c. foetus hæredibus, allodialibus adjudicandi veniant. vid. Richter. Vol. 2. Consil. 43. num. 12. Brunn. ad l. 15. c. de A. E. V. in fin. Rol. à Valle L. 3. Cons. 34. num. 32. seqq. Müller. in Resolut. Marchic. Resol. 63. num. 39. 42. 43. §. Resolut. 73. num. 16. seqq. Sin autem posterius, quicquid piscium in piscinis vel stagnis aptatis reperitur, jure utilis domini à Vasallo possidetur, adeoque exclusis hæredibus allodialibus ad successores feudi transmittitur, etsi ille de suo pisces subinde immiserit. Quemadmodum enim is, qui piscinam vel stagnum tale jure usufructus accepit, ut bonus paterfamilias ea uti, ipsamque conservare & supplere tenetur arg. l. 68 §. fin. §. l. 69. c. de Usufr. ita nec Vasallus aliter sese gerere, sui que domini & successoris conditionem deteriorem reddere potest. Debent autem hæc tenus dicta accipi de ipsis piscibus. Piscina enim s. locus in quo illi continentur, est semper pars fundi feudalis, si intra hujus fines coercetur, nec in illum, etsi Vasalli industria aptatus sit, hæredes allodiales quicquam juris habent. vid. Excellent. Dn. Praeses in *disp. de Militaris Feud.* c. 3. §. 13. Struv. in *Cent. Decis. quænam res sint allod. Sc. Dec. 3.*

§. 24.

Hic ita prænotatis progredimur nunc ad ipsos fructus feudales ultimi anni propriè & strictè sic dictos, quorum alii sunt naturales, alii verò civiles, de quibus agemus infra §. 29. seqq. De naturalibus expressum & satis rotundum habemus textum sæpius jam allegatum scil. 2. R. 28. §. 4. cujus verba sunt seqq. *Hic consequenter dicitur, quod si Vasallus decedat sine herede masculino, & contingat feudum ad dominum reverti, sic distinguitur, quod si ante Martium, omnes fructus illius anni ex feudo provenientes ad dominum pertinebunt. Si vero post Calendas Martii usque ad Augustum, omnes fructus, qui interim percipiuntur, ad heredes Vasalli pertineant.*

E

ueant.

neant. Si vero post Augustum omnes fructus anni percipiet dominus. Quamquam autem non desint, qui hunc textum variè castigent ac reprehendant, ejusque decisionem partim mirabilem, ridiculam & aequitate carentem, partim rusticam & imperitam, partim denique absurdam & irrationabilem appellare non vereantur: hos tamen omnes magno verborum rerumque apparatu, dubitandi pariter ac decidendi rationibus copiosè adductis, quàm latissimè refellere fatigat Anton. Monach. de Reib. Feudor. interpretat. c. 57. per tot. p. 309. & multis seqq. ad cuius inspectionem B. L. qui plura hanc in rem legere cupit, remississe sufficiat. Id tamen prætermittendum non est, parum rectè à nonnullis in contrarium urgeri, quod fructus soluto matrimonio pendentes pro rata anni dividendi veniant. l. 78. §. 2. π. de Jur. Dot. l. 7. §. 1. l. 11. l. 31. §. fin. ff. solut. matrim. l. unic. §. 9. C. de R. U. A. præsertim cum illud plane specialem habeat rationem, & quidem ex eo, quod maritus fructus dotis pro oneribus matrimonii lucretur l. 7. pr. π. & l. 26. C. de Jure dot. Quò fieri aliter non potest, quam ut ille, et si hoc soluto dominus dotis esse desinat, nihilominus tamen fructus pro ratione temporis, quo onera & incommoda, quæ fere quotidiana sunt, tulit, jure sibi vindicet. Male itaque facere videntur ii, qui id quod singulariter constitutum est, ad casum feudi morte Vasalli vacantis similesque contingencias, ubi usus deficit, producere audent. vid. Rosenthal. in S. J. F. c. 10. concl. 42. num. 40. seqq. Cocces. de Jure Semin. Sect. 3. §. 4. & seqq. quamquam de cætero dissimulandum non sit, jure civili inspecto fructus feudi mortuo Vasallo pendentes, ad dominum directum indistinctè pertinere, quia dicti fructus sunt pars fundi restituendi, cujus ille plenum dominum mediante consolidatione acquirit. Sed cum dispositio juris Civilis cessare debeat, ubi expressus in Jure feudali textus occurrit, merito quoque decisio, quæ 2. F. 28. §. H. C. habetur, prior scilicet (posterior enim non approbatur, sed saltem recensetur) sine ulla hæsitacione in judicando & consulendo quotidie observatur. conf. supr. §. 14. Neque est, cur in ratione, quæ Longobardos ad talem legislationem movit, investiganda ad l. 20. π. de LL. confugiamus cum Hartm. Pistor. L. 1. quest. 24. num. 44. Köppen. in Dec. 30. num. 1. Præterquam enim quod Alexandr. ad l. 7. §. 1. π. solut. matr. Munoz. de Escoar. de Ratioc. tom. 2. c. 20. n. 17. non improbabile videatur, propterea quod in equis, armis & aliis mili-

militariibus præparamentis, pro sequendis & comitandis in bello dominis suis, à Martio usque ad Augustum sumptus facere soliti erant Vasalli, hujus hæredibus fructus per dictum temporis spatium perceptibiles relictos fuisse, conf. tamen Anton. Monach. l. c. *partic. 10. num. 18.* satis manifesto, opinor apparet, authores feudorum conditionem & existentiam fructuum, quatenus sc. hi Vasallo mortuo pro more Italiae vel adhuc sperantur, vel jam reverà nati sunt, inque fundo pendent; præ oculis habuisse.

§. 25.

Sed ut res evidentiore fiat, singulas regulas, quæ in dicto textu proponuntur, distinctè considerasse javabit. Prima autem hæc est: Si ante Martium decedat Vasallus, omnes fructus illius anni ex feudo provenientes ad dominum pertinebunt. Æquitas regulæ proculdubio sese fundat in eo, quod ante Martium, qui in Italicis regionibus virentium fructuum principium est, uti loquitur Baldus ad 2. R. 28. §. H. C. num. 1. nihil illorum existat, quod hæredibus allodialibus acquiri possit. Et quanquam fructus nascituri ad dictos hæredes spectare videantur partim propter jus feminis à defuncto Vasallo immitti, partim etiam propter jus curæ & culturæ, quam ille agris colendis & subigendis impendit: neutrum tamen respicere voluerunt juris feudalis compilatores; non prius, quia jus solifemper vincit & quasi absorbet jus feminis l. 21. §. 1. *di. Usur.* nec posterius, cum pro labore ac industria non fructus, sed saltem merces & impensarum refusio debeatur. Atqui hanc hæredes allodiales omni in casu, quo fructus ultimi anni domino vel etiam successori feudali relinquere tenentur, petere omnino possunt. Struv. in *Synt. l. F. c. 15. aph. 16. num. 4.* Excellent. Dn. Præsides de *Mellor. Feud. c. 4. th. 9.* Satis itaque intelligitur, à ratione juris civilis plane non alienum esse, quod dominus directus Vasallo ante Martium mortuo fructus acquirat, idque etiam propterea ad agnatos rectè extendit usus. vid. *supr. §. 14.* Neque verò quoad hos locum habet distinctio an renovatio investituræ petita sit, an verò non. Utroque enim in casu fructus perceptos sibi acquirunt, quia renovatio investituræ non verè collationis vim habet, sed saltem solemnitatis gratia, inque recognitionem domini directi peragitur, ad id, ut jus per successionem jam acquisitum confirmetur. In Gallia ta-

men fingulare est, quod Vasallus antequam dinumeramenta feudi domino directo obtulit, fructus suos non faciat. vid. Molin. ad *Consuetud. Paris.* tit. 1. §. 5. & 6. Excell. Dn. Præses in novissima *disput. de Dinumerament. Feudi.* membr. 1. §. 13. Ceterum in Saxonia ita juris est, quod, quemadmodum fructus naturales ad dominum directum vel etiam agnatos pertinent, vid. Richter. *D.* 56. num. 11. & vol. 2. *Cons.* 341. ita & contra industriales pro cura & cultura, modo hæc plena fuerit, & occasio accesserit, hæredibus allodialibus acquirantur Berlich. *P.* 3. *concl.* 43. num. 47. Carpzov. *P.* 2. *const.* 32. *Def.* 10. conf. Buf. *ad l.* 58. *o. de Usufr.* num. 6. Rosenthal. *l. c. n.* 44. quorum ille in Transylvania, hic vero in Ducatu Montenfi & Juliacensi jus Saxonicum observari testatur.

§. 26.

Secunda regula docet, quod si Vasallus post Calendas Martii decedat, omnes fructus, qui interim percipiuntur, ad hæredes Vasalli pertineant. Cujus ratio in eo quaerenda videtur, quod Vasallus post Martium mortuus fructus tunc natos jam in vita sua meruisse & quasi percepisse censi debeat, maxime si in conditione illos proximè percipiendi constituitus fuit, uti quidem in Italia non raro contingit, cum ibidem messes multò citius quam in Germania, & quidem in principio mens. Jun. incipiant. vid. Bitich. *ad 2. F.* 28. *S. H. C. notab.* 6. p. 539. B. Dn. Text. in *Prax. Judiciar.* P. 2. *cap.* 2. num. 28. Proinde iniquum fuit visum, si hæredes allodiales, ipso feudo ad dominum directum vel successores feudales devoluto fructibus quoque mortuo Vasallo jam pendentibus privarentur; nisi fortè hic ipse istos fructus per ultimam voluntatem extraneo cuidam reliquisset, id enim facere omnino potest. Ludwell. *de Successor. Feud.* c. 5. p. 310. *in fin.* Dn. Stryck. in *Ex. l. F. c.* 14. *quæst.* 10. Sed ut ad regulam ipsam accedamus, debet illa generaliter & cum quadam ampliatione intelligi, ita, ut non solum in omnibus fructibus naturalibus pariter ac industrialibus locum habeat, Rosenthal. in *S. l. F. cap.* 10. *conclus.* 42. num. 50. 51. Dd. apud Berlich. *l. c. conclus.* 45. num. 7. verum etiam ad casum, quò creditores vel fiscus loco hæredum Vasallo succedunt, extendatur. Rosenthal. *l. c. num.* 45. 46. Imò & hoc usu servatur, quod hæredes allodiales & qui horum loco sunt, fructus ultimi anni lucrantes, etsi cautionem præstare non teneantur, nihilominus in possessione feudi mancant, eamque contra

tra quemquis detinentem remediis possessoriis vindicare ac tueri possint. Berlich. l. c. concl. 43. n. 44. 45. 46. conf. Mev. P. 2. D. 45. ⁸⁵ P. 1. D. 274. n. 4. & quidem tamdiu donec omnes fructus, qui isto anno percipiuntur, perfectè collegerint, in quo tamen, si actionem L. Aquilæ evitare velint, ita versari debent, ne ipsum feudum deteriorent, vel aliud quid exerçant, quod tanquam usufructuarii temporarii facere prohibentur. vid. supr. §. 21. uti nec cæteras utilitates, quæ in fructuum numero non sunt, vindicare sibi possunt, adeo, ut thesaurum, qui inter illos non computatur, non aliter quam jure inventionis scil. quoad dimidiam partem acquirant arg. l. 7. §. 12. ⁷. solut. matrim. Proventus autem metallici tunc demum cedunt hæredibus, si de illis specialiter investitus fuerit Vassallus, cum alias illi proventus, si profiores sint, ad Principem pertineant, vid. Carpov. P. 2. Constit. 53. Dis. 1. 2. 3. conf. supr. §. 3. 4.

§. 27.

Tertia denique regula, quæ 2. P. 28. §. H. C. nobis exhibetur, ita definit, quod si post Augustum Vassallus mortuus fuerit, omnes fructus anni dominus percipiat, idque eadem ex ratione, quam prima regulæ assignavimus, quia hæc non magis ac illa fructus adhuc nascituros respicit, uti quidem verba omnes anni fructus satis innuunt. Neque enim post Augustum, maximè in Italia, omnes fructus amplius existunt, sed potius plerique jam sunt percepti, & sic omnes à domino directo percipi amplius nequeunt. Hinc etiam verius nobis videtur, quod illi fructus, qui Vassallo post Augustum mortuo adhuc pendent, & mense demum Septembri aut Novembri plenè maturebunt ac colliguntur, quales sunt e. g. uvæ, olivæ; quod, inquam, isti fructus hæredibus allodialibus, non verò domino directo vel successori feudali adjudicandi veniant, per ea, quæ contra dissentientium rationes (vid. novissimè B. Dn. Text. l. c. num. 30. 31. Fr. Gall. de Fructib. Diss. 27. art. 2. num. 4.) latè & sufficienter deducta reperiuntur ap. Bisch. l. c. Coccej. de jur. Semin. Sect. 6. §. 6. 7. Struv. in Centur. Decis. quarum rei sunt allodiales ⁸⁶ Sc. Dec. 85. Frid. Müller. in Resolut. March. R. 74. num. 9. Atque hæc, quam defendimus, sententia, si ad praxin & usum fori respiciamus, dubitationem non patitur teste Hartm. Pistor. l. c. num. 48. Bisch. l. c. in verb. Atque hæc interpretationem ⁸⁷ Sc. præsertim in Saxonia, ubi ratione uvarum dies Urbani attenditur, quem si su-

pervixerit Vasallus, hujus hæredibus allodialibus illæ tanquam fructus industriales Berlich. l. c. num. 62. semper cedunt teste Carpov. P. 3. Const. 32. def. 8. Neque in Thuringia aliter observari contra Colerum & Carpov. probat Richt. dec. 56. num. 5. § 6. vol. 2. cont. 340. num. 4. 5. add. Berlich. l. c. num. 63. Denique autem omnia bene considerandum erit, an vinea sit pars & pertinentia feudi, quod si non appareat, (neque enim in dubio præsumitur et si Vasallus illam in feudi utilitatem diu usus. vid. Struv. l. r. Dec. 2.) quocumq; tempore hic decesserit, uti ipsa vinea, ita & hujus uxoris tanquam fructus rei allodialis ad hæredes indistinctè pertinebunt. Quod autem spectat fructus arboreos, hos sub tertia regula planè non comprehendi facile patebit iis, quibus notum est, quod e. gr. pyra & poma in Italia diu ante Augustum decerpantur. Et licet hoc in Germania regulariter non fiat, tamen isti fructus, Vasallo mense Septemb. vel Octob. mortuo, quia tunc pendunt, extra Saxoniam (ibidem enim tanquam fructus naturales domino aut successori cedunt vid. Carpov. in Juspr. For. P. 3. Const. 32. Def. 24.) hæredibus allodialibus non erunt adimendi.

§. 28.

Sed ne minima, quorum aliàs rationem Prætor habere non solet, sectari videamur, ad primam, & quæ cum hac coincidit, secundam regulam redeamus. Neque enim omnittendum est, id quod in præcedentibus traditum fuit, hæredes allodiales, si Vasallus ante Martium vel post Augustum decesserit, nihil fructuum nasciturorum nomine petere, sed à domino di ecto vel etiam agnatis è feudo expelli statim posse, id, dico, notabilem recipere limitationem, si hæredibus vel annis gratiæ vid. sup. § 15. vel etiam jus retentionis competat. Nam vi hujus juris dicti hæredes in feudo, agnatis & domino directo frustra prohibentibus Mev. P. 7. D. 399. manere, omnes fructus percipere, & dummodo hi rationibus redditis in fortem imputentur, in suos usus convertere licitè possunt. Mev. P. 4. D. 60. num. 2. § D. 340. adeò, ut quamdiu ipsi plenam satisfactionem consecuti nondum sunt, agnatis nihil illorum nomine & ne quidem expensas litis præstare teneantur Mev. P. 6. D. 189. Sciendum tamen est, quod hoc jus retentionis non semper ac promiscuè in feudo, sed pro debitis saltem feudalibus locum habeat, quæ scil. hæredibus allodialibus aut defuncti Vasalli uxori ab agnatis vel domi-

domino directo exsolvenda veniunt, v. omnino Mev. P. 2. D. 115.
 Et quidem talia sunt (1.) refusio meliorationum feudi in continenti
 & non difficulter liquidabilium, prout accurate, ut semper ac ubique
 solet, pluribus demonstrat Vir inclytus Excell. Dn. Præses Patromus
 ac Præceptor noster colendissimus in sæpius laudata dissertat. de Me-
 liorat. Feud. c. 4, §. 15. seqq. (2.) Restitutio dotis, hujusque augmenti,
 nec non bonorum paraphernalium uxori facienda Carpzov. P. 2.
 Const. 25. D. f. 7. conf. 44. de Oser. Vassall. Decad. 4. pos. 4. Mev. P. 1.
 D. 172. conf. P. 2. D. 14. P. 3. D. 225. 251. p. 7. D. 159. num. 8. add.
 Matth. Wend. Diss. Inaug. de Jurib. fem. singular. in feud. p. 2. cap. 3.
 (3.) Constitutio dotalitii, si nimirum hoc præ dote eligat mulier
 Carpzov. l. c. Def. 8. (4.) Præstatio alimentorum à filiabus innup-
 tis exigibilium. Mev. P. 3. D. 367. (5.) Solutio dotis filiabus
 nuptis debitæ Mev. P. 3. D. 363. 364. 366. 370. Berlich. P. 2. concl. 32.
 num. 2. Mynsing. centur. 6. Observat. 45. num. 5. Obs. 82. num. 1. conf.
 Dn. Wend. d. D. sp. p. 2. cap. 2. Dn. Schöpfer. diss. de Aliment. & dot.
 Filiarum. Nobil. per tot. Dn. Engelbrecht. diss. de Dotat. Virgin. Nobil.
 in Pomeran. c. 2. per tot. Cæterum jus retentionis non semper est
 unius ejusdemque qualitatis, sed aliquando privilegium & cum
 jure tacitæ hypothecæ præsertim in Saxonia & Pomerania conjua-
 ctum, vid. Tit. im Teutsch. Lehn Recht. c. 18. & supr. alleg. Auth.
 nunquam tn. alium finem quam securi atem debiti habet. Unde
 etiam sæpius incidit quæstio de eo, quod viduas vel filias, quando
 illo jure utuntur, è fructibus perceptis debito imputare oporteat?
 quam optimè expeditit Summus Vir Mevius P. 6. D. 184. per. tot.

§. 29.

Hactenus de Fructibus Feudi naturalibus. Quod autem
 attinet civiles, de horum in hæredes allodiales transmissione variè
 admodum sentiunt Dd. vid. Berlich. P. 3. concl. 22. & 44. Carpzov.
 in Jurispr. For. P. 3. Constit. 16. Dis. 6. 8. & Constit. 32. Dis. 19. seqq.
 ibique allegat. à Gosw. ab Esbach. in additior. Sed ut nonni-
 hil distinctus semproponamus, notandum est, quod isti fructus
 in duplici sint differentia. Aut enim ex singulari privilegio à
 Principe Vasallo concessio proveniunt, aut vero eidem propter aliud
 jus in re ad feudum pertinente, qua tertius utitur, debentur. vid.
 Struv. in S. I. F. c. 12. a. b. 4. num. 1. Prioris generis sunt collectæ,
 vecti-

vectigalia, multæ & certo respectu mortuarium. Equidem collectis nonnisi in feudis regalibus locus est, sed horum fructus nullo casu in hæredes transire jam supra §. 2. in fin. monitum fuit, idque propterea, quod collectæ, uti cætera bona Republicæ oneribus ferendis destinata, non proprio, sed saltem administratorio jure ad dominos territoriorum pertineant, vid. Pufendorf. de *J. Nat.* & *Geor. L. 7. c. 5. §. 8.* & per consequens horum privati patrimonii hæredibus acquiri nequeant. Idem dicendum videtur de vectigalibus, etsi à Vasallis mediatis exigi possint. Nam cum illa sint fructus quotidiani, quorum scil. perceptio singulis vicibus est dividua, fieri aliter nequit, quam ut quocunque tempore jus percipientis extinguatur, ipsa quoque vectigalium e. gr. pontivegorum, ripatorum perceptio expiret, nec in persona hæredis continuetur, sed eum, qui in illud jus succedit, sequatur, uti rectè decisum reperitur ap. *Struv. in Cent. Dick. quarum res sint allod. Sc. D. 39. add. Decis. 94.* Quantum verò ad multas, non levis inter Dd. est disputatio, an illæ post mortem Vasalli irrogandæ, allodii an vero feudi successores ad judicandam veniant, vid. *Rosenth. in S. I. P. c. 10. concl. 42. n. 64.* add. *Berlich, l. c. concl. 44. n. fin.* Sed ut paucis nos expediamus, breviter dicimus, multarum compendia ad eum, cujus est jurisdictio, spectare, & quidem in compensationem oneris, quod illi annexum est. Atqui cum jurisdictio feudo coherens in hæredes allodiales de jure communi non transeat. *supr. §. 21. in fin. v. tamen Mev. l. c. in fin.* consequens est, quod nec fructus jurisditionis ad illos in præjudicium agnationum vel domini directi, qui onera & incommoda tulerunt, pertinere possit. Neque distinguendum videtur, an pœna ipso jure, e. gr. in casu defraudati vectigalis sit commissio, an verò ex sententia debeat. Utroque enim in casu ratio, quam assignavimus obtinet; cui accedit, quod in *l. 14. n. de Publ. & Vectig.* expresse dicatur, dominium commissi ipsi rei vectigali acquiri. Ergo illud, si condemnatio sequatur, non potest ad alium, quam qui rei vectigalis dominus est, h. e. successorem feudalem spectare, vid. *Guid. Pap. Dec. 535.* ubi in Delphinatu ita judicari perhibet. *conf. tamen Bachov. ad Fabr. Exerc. 46. Error. 7. per tot.* Cæterum ubi moris est, quod hæredes jurisditionem per tempus exercent, de que litibus in judicio pendentibus cognoscant, ibi non erit dubitandum, quin illi quoque multas dicendas capere possint. De-

Denique, ut de mortuario aliquid adjiciamus, forte non errabimus, si hoc eo quo Vasallus obiit anno, non quidem ab hæredibus allodialibus, etsi cæteros fructus lucrantibus, sed potius feudi successoribus exigi posse dixerimus, partim quia id quod vivo Vasallo nondum debetur, nec ab hujus hæredibus rectè petitur, partim etiam quia jus illud mortuarium in aliquam clientelæ & defensionis (quam successores feudales tanquam domini, non verò hæredes præstant) compensationem & remuneratiorem concessum esse creditur. vid. Excell. Dn. Harppr. de Mortuar. disp. 1. th. §. p. 25.

§. 30.

Sed quod in th. præced. & supra §. 2. in fin. dictum fuit de fructibus feudorum regalium, hos scilicet in hæredes allodiales non transmitti, ulteriorem exigit declarationem. Aut enim isti fructus ex bonis domanialibus, aut verò ex exercitio jurium superioritatis territorialis & maximè fiscalium (de cæteris enim §. præced. actum) acquiruntur. Prioris generis reditus nondum perceptos ab hæredibus quotalibus peti non posse, satis patet ex eo, quod bona domanialia à Principe non aliter quam jure usufructuario possideantur Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 6. n. 11. Text. in Syn. l. G. c. 30. n. 47. Hoc autem jus cum persona usufructuarii in totum expirat, ita ut finito usufructu omnes fructus pendentes, etsi maturi sint, ad dominum soli pertineant. §. 36. Inst. de R. D. Posterioris generis emolumenta ad tuendam Remp. hujusque onera ferenda percipiuntur. vid. Rec. Imp. 1512. §. 26. & per consequens ad privatum Principis patrimonium, in quod hæres tantum succedit, referri non debent. Unde & hic id, quod ex redditibus publicis, in conservationem & utilitatem feudi regalis impensum est, à successore repetere nequit, prout in Consil. Stat. Elector. Palat. in causa fat. gravi se sensisse scribit Coccej. in Jur. Publ. Pr. c. 30. n. 14. Neque verò prius iniquum censeretur, maximè cum hæredibus alia ratione satis jam sit prospectum. Præterquam enim quod uxori dotalitium constituitur, filii secundo geniti, ubi jus primogenituræ viget, appannagium, & filiz si sint innuptæ portionem alimentariam, nuptæ vero dotem ex ipso feudo regali accipiunt. Plura vid. ap. Schrad. de Feud. 2. Part. 9. princip. Sect. 4. n. 13. Bocer. de Success. in Feud. c. 3. q. 49. & seqq. Speidel. in Soc. voc. abgefundene Herrn. Bets. de Pat. Famil. illustr. c. ult. §. 12. ubi in specie agit de thesauro.

F

§. 31.

Posterioris generis fructus civiles (vid. §. 29. in pr.) sunt annui reditus in specie sic dicti (quo potissimum pertinent istæ præstationes, quas Vassallorum subditi ex frumento, vino, animalibus, aliisque bonis suis in certa quantitate certoque tempore solvere tenentur. vid. Knipschild. de *de Jur. Nobil. L. 3. c. 2. n. 21.*) usuræ pecuniæ feudalis, & denique pensiones ac mercedes in casu feudi locati. vid. sup. §. 11. Ac primo quidem generaliter observandum est, quod ad hæc obventiones in universum decisio 2. F. 28. §. H. C. extendi haut debeat, cum ibidem saltem mentio fiat fructuum ex ipso feudo provenientium, quales non sunt ii, qui civiles appellantur. Neque quoad hos quadrat ratio cit. textus, quam scilicet in eo, quod fructus mortuo Vassallo vel sperentur, vel jam nati sint pendentque, consistere supra probavimus. vid. Coccej. de *jure Sen. Sect. 16. §. 13.* Gall. de *Fruct. b. disp. 27. art. 2.* Proinde non erit dubitandum, quin id quod de jure communi circa fructus civiles ultimi anni obtinet, etiam ad casum feudi vel aperti vel ad successores legitimos devoluti rectè & tutò satis applicari queat. His consequenter in puncto juris verissimum videtur, quod annui reditus, Vassallo ante terminum solutionis mortuo, non quidem hujus hæredibus, sed feudi successoribus aut etiam domino directo debeantur, idque propter generalem illam regulam, quæ vult, ut si aliquid ad hæredes non transitorium debetur in diem, hic uno eodemque tempore & cedat, & veniat, ne jus temporarium & cum persona expirans, perpetuum & transmissibile efficiatur. vid. Gomez. *Var. Resol. Tom. 2. c. 11. n. 21. vers. Secundo limita.* Atqui cum omne jus, quod Vassallus in feudo ejusque occasione habet, sit temporarium, nec in hæredes quæ tales transitorium, necessariò inferendum erit, quod annui reditus, quos ille tantquam feudi possessor percipit, non prius deberi incipiant, quam cum efficaciter actuque secundo peti possunt, h. e. postquam terminus solutionis & præstationis, vel pacto vel lege constitutus, venit. Si itaque hunc terminum Vassallus non supervixit, sane nullum jus in annuos reditus post ejus mortem exigibiles habet, nec quicquid est, quod horum nomine in hæredes transmitti possit. Quæ cum ita sint, merito recedendum nobis erit à sententia statuentium, quod annuæ istæ obventiones vel. l. juxta dispositionem 2. F. 28. §. H. C. pro ratione temporis, quo mors contingit, partim hæredibus, partim successoribus

ribus adjudicari debeant, quam opinionem propter ea, quæ in pr. hujus §. dicta sunt, recte improbat Berlich. l. c. concl. 22. num. 4. Vel II. pro rata anni inter hæredes & successores dividendi sint. vid. Berlich. l. c. num. 6. Coler. Dec. 286. num. 112. & seqq. Rauchbar. P. 2. quest. 22. in fin. qui pro vero supponunt id, quod tale non est, nimirum, quod dies solutionis annuorum reddituum statim, ubi annus incipit, cesserit & pro rata temporis, quo pristinus possessor vixit, jam venerit. Sed neutrum admitti potest, non prius per ea, quæ in proximè præcedentibus à Gomezio tradita sunt, quibus accedit, quod cessio diei operaretur non hoc, ut debitum divideretur, sed ut totum in hæredes transfret, & ab his veniente die peti posset; nec potest, cum alias sequeretur, partem reddituum statim post mortem Vasalli ab hujus hærede recte exigere, id quod tamen omni juri repugnat. Vel III. in totum pertineant ad hæredes, si Vasallus paulo ante terminum solutionis decesserit. Berlich. l. c. num. 9. Sane nulla apparet idonea ratio, cur ita statui debeat, sed potius contrarium verius videtur arg. l. 42. §. de Usur. in cujus fin. dicitur quod ad fideicommissarium post acquisitum ex causa fideicommissi dominium fructus pertineant, etsi major pars anni ante diem fideicommissi cedentem præterisse dicatur. Ergo nec hæredes allodiales in præjudicium agnatorum vel domini directi, quibus statim post mortem Vasalli feudi dominium acquiritur, annuos redditus, tanquam fructus civiles vindicare sibi possunt, etsi mors à termino solutionis propius abfuerit. Atque hanc, quæ nobis quidem verior videtur, sententiam ulterius juvat, quod solutio annuarum pensionum, quas Vasallorum subditi debent, in accipiente aliquam superioritatem, in quam tamen hæres plane non succedit, præsupponat. Illud tamen negari nequit, quod operæ rusticorum hæredibus allodialibus fructus ultimi anni lucrantibus præstari debeant, cum illæ ad horum perceptionem quàm maximè concessæ ac destinatæ sint. vid. Mev. P. 4. Dec. 60. ubi num. 4. refert, quod filia & vidua jure retentionis utentes, in Pomerania vi singularis privilegii de ao. 1569. rusticos ad operas decenter exhibendas cogere possint. Fate-mur quoque priorem sententiam, quæ fructus civiles inter hæredes & successores feudales dividi vult, fere communiorem, & maximè inter Saxonæ Dd. ex quadam æquitatis specie receptiorem esse, prout colligere licet ex Responso Facultatis Jenens. ap. Struv. in

Observat. Feud. ad S. I. F. cap. 15. Obs. 9. quanquam aliàs de eo quod in ipsa Saxonia circa annuos redditus Vasallo ante terminum solutionis mortuo juris esse debeat, nondū satis inter se conveniant laudati Dd. Solent autem tres maximè casus distinguere, an scil. 1. dies censuum vivo adhuc Vasallo, an vero 2.) post hujus mortem intra trigesimum diem venerit. Atque hisce duobus in casibus census in totum pertinent ad hæredes per *Constit. Electoral. P. 3. Const. 32. vid. Berlich. P. 3. concl. 22. num. 12. & concl. 44. num. 4, 5, 6. Carpzov. in Jurispr. For. P. 3. const. 16. Def. 2. 8. & Const. 32. Def. 20, 21. ubi posterius ampliat, si paulò post trigesimum terminus præstationis cesserit; an verò 3.) Vasallus ante tempus solvendis censibus præfinitum decesserit vel etiam terminus diu post diem trigesimum à morte Vasalli venerit, & tunc annuos redditus inter hæredes & successores dividendos esse affirmat *Berlich. l. c. concl. 22. n. 9. seqq. & concl. 44. n. 9. seqq.* sed contra negat *Carpzov. P. 3. Const. 16. Def. 16. & Const. 32. Def. 19.* ubi citat, *Const. 16. ne quidem in terris Electoralibus ad feudum extendendam esse monet, in quam sententiam duo quoque præjudicia adducit Struv. in Centur. Decis. quænam res sint allod. De. 93. add. Richter. Dec. 56. ubi num. 13. in Thuringia non attenda Const. Elector. 16. semper pro agnatis pronuntiarit testatur. De consuetudine Marchia vid. Müller. in Resolut. R. 65. num. 19. seqq.**

§. 32.

Quæ de annuis redditibus in specie sic dictis horumque in hæredes allodiales transmissi one *6. præc. 1.* tradidimus, etiam ad usuras pecuniæ feudalis applicari possunt, nimirum si illæ certo statutoque tempore à debitore solvendæ sunt. Tunc enim si Vasallus antequam dies venit, mortuus sit, usuræ non ad hæredes, sed feudi successores pertinent. vid. *Frider. Müller. in Res. l. c. n. fin.* ubi præjudicium adducit. Aliud obtinet quando illarum solutioni certus terminus non est præfixus. Quo casu usuræ, quia pro usu pecuniæ quotidiano alteri concessio debentur, vicem fructuum quotidianorum obtinent, & per consequens pro rata ultimi anni inter Vasalli hæredem & agnatos dividuntur. Diximus agnatos. Dominus enim directus aperto feudo in pecuniam feudalem regulariter nihil juris habet. *Struv. in S. I. F. c. 4. aph. 6. num. 3. Dn. Lynker, disp. de Feudo Pecuniario §. 31. adeoque frustra quæritur, an & quomodo usuræ ad illum pertineant.* §. 33.

§. 33.

Cum pecuniâ feudali multum affinitatis habet feudum pecuniarium. Hinc commoda nobis sese jam offert occasio differendi, an istius feudi fructus ultimo anno perceptibiles in hæredes allodiales transmittantur, quæ quidem quæstio tunc potissimum locum habet, quando pecunia vel apud ipsam dominum vel apud tertium hac conditione existit, ut Vasallus inde annum redditum percipiat. vid. Struv. c. 4. apb. 2. Dn. Lynk. in laud. disput. de Feud. Pecun. §. 24. Nam si pecunia in ipsum Vasallum transferatur, facile apparet, quod illa hoc mortuo ad eos, qui alias successionis feudalis capaces sunt, una cum usuris ejus temporis, quod Vasallus non supervixit, si quæ debentur, transeant, per ea, quæ in §. præcedenti de usuris pecuniæ feudalis dicta sunt. Quod verò attinet priores casus, quadam distinctione opus erit, an scil. reditus in initio, an vero in fine anni solvendus sit. Priori in specie, quia & cessit & venit dies, nihil ob stare videtur, quo minus totum debitum in creditorem Vasallum, ejusque hæredes transmittatur. Nec forte dubitandum, quin posteriori in casu, cum omnes feudi pecuniarii substantia & utilitas in perceptione annui redditus consistat, hic quoque minimum pro rata anni, quo Vasallus vixit, ad hæredes allodiales pertineat.

§. 34.

De pensionibus feudi locati, cuiusmodi scil. hæ Vasallo, locationis tempore nondum finito, mortuo debeantur, gravior inter Dd. est disputatio, quæ ut eò rectius intelligatur ex iis quæ supra §. 12. diximus repetendum est, quod in feudo succedens agnatus vel etiam dominus directus tanquam successores singulares locationem à defuncto Vasallo factam pro suo libitu ac arbitrio vel revocare vel ratihabere possint Et primo quidem casu manifestum est, quod successores feudales nihil mercedis nomine petere queant, sed hæc, si debetur, hæredibus allodialibus debeatur, qui tamen illam ratione temporis, quo conductores expulsi uti nequeunt, remittere tenentur. vid. supr. l. c. in fin. Secundo in casu interest, an i. usus rei à Vasallo locatæ sit quotidianus, uti e. gr. molendini; & tunc pro rata temporis, quo Vasallus vixit, pensio hæredibus, reliquum vero agnatis vel domino directo, non quidem ex contract. defuncti, sed ex causa reconductionis vel expressè vel tacitè factæ cedit arg. illorum, quæ de hæredibus usufructuarii tradit

dit Struv. ad tit. *rr. de Usufr. lites. 19. pr. an vero 2.*) usus rei locataz fit annuus, puta, si ipsi agri feudales fiat locati; quo facto de jure communi dispositionem *2. F. 28. §. H. C.* locum habere post plures à se allegatos tradit Berlich. *l. c. concl. 22. num. 26.* Et rectè quidem, dummodò rectè positisque terminis habilibus accipiatur. E. gr. Ponamus tempus locationis incipere mense Januario, Februario. Sane tunc, Vasallo eo tempore, quo locatione non facta ipsius hæredes fructus percipere potuissent, h. e. post Martium mortuo, verum omnino est, quod uti colonus à defuncto Vasallo causam habens, ejusque jure, vel jam percepit, (nimirum si mors post Augustum contigit) vel adhuc, successore feudali frustra prohibente, percipere potest fructus pendentes; (Hi enim illis non cedunt, secus ac supra §. 12, sed parum cautè diximus) ita etiam pensio, quæ pro fructibus solvitur, etsi tempus, quo illa inferri debet, nondum venerit, nihilominus tamen ad hæredes pertineat. Sin autem Vasallus ante Martium moriatur, colonus in feudo manens ex voluntate & contractu successoris feudalis fructus percipit, & consequenter huic mercedem solvere tenetur. Et quid opus est multis? Breviter dicendum: quotiescunque colonus ex concessione defuncti Vasalli & jure contractus cum hoc initi fructus ultimi anni percipit vel percipere adhuc potest: toties hujus anni pensio hæredibus allodialibus debetur. De jure Saxonico vid. Berlich. *l. c. num. 27.* ibique allegati Dd. Carpov. *P. 3. Constit. 16. Dis. 7.*

§. 35.

Supereff, ut videamus quid in casu feudi propter feloniam Vasalli domino directo aperti circa restitutionem fructuum juris esse debeat. vid. supr. §. 20. Equidem non queritur hic de fructibus ante feloniam perceptis. Horum enim nomine Vasallus nihil restituere tenetur. Rosenthal. in *S. I. F. cap. 10. concl. 42. num. 27.* & *28. junct. num. 33.* ubi rejicit exceptionem Scharleri, Carpov. in *D. I. F. d. sp. 9. lites. 33.* Schnobel. *disp. F. 10. num. 32.* Illustr. Dn. de Reichenb. *lit. rr.* idque propterea, quod Vasalli jus propter commissam feloniam non ex tunc sed ex nunc resolvatur. Atqui quotiescunque posterius fir, tempus amissionis non retrahitur, adeoque fructus ante resolutionem bona fide & pleno jure percepti revocari nequeunt, uti pluribus præclare docent Excell. Dn. Dd. Grass. & Frommann. Patroni ac Præceptores nostri venerandi in *disp. 2. de Redit. domi-*

dominij legal. *tbes.* 33. p. 67. Omnis ergo difficultas consistit in eo, cui nam fructus post feloniam percepti adjudicari debeant, an scil. Vafallo, an vero domino directo? Certè posterius affirmare non veremur cum Struv. in *S. I. F. cap. 15. aph. 11. num. 4.* & quidem indistinctè sive ipso jure sive demum mediante sententia privatoria feudum amittatur. Quemadmodum enim certum est, quod primo in casu Vafallus propter reditum domini legalem, vi cuius ille male fidei possessor efficitur, nihil ex fructibus sibi acquirere possit. Rosenthal. *l. c. num. 14. seqq.* Excellent. Dn. Grass. Patronus ac Præceptor noster observandissime colendus, *l. c. p. 77. 78. 79. 80. 81.* ita secundo in casu idem dicendum esse satis apparebit, dummodo respiciamus ad naturam & indolem actionis, quæ tunc, quando feudum per sententiam Vafallo abjudicandum est, competit. Neque enim ista actio alia est, quam condictio ob causam datorum, vel generalius loquendo condictio sine causa, quæ quidem domino directo non quæ tali, sed ratione domini utilis, quod non prius quam lata sententia à Vafallo abit, datur. Illustr. Dn. de Rhetz. *ad 2. F. 21. p. 441. num. 3.* Jam verò cum condictione sine causa talis sit actio, quæ res actoris olim propria repetitur, quæque adeo cum habet effectum, ut possessor, cuius causa finita est, in omnes fructus condemnari debeat, *l. 28. §. 1. 2. 3. 4. de usur. vid. supr. §. 5.* sane conditio Vafalli dicta actione conventi melior esse nequit. Quanquam verò fiat, qui ad id, ut fructus ante litem contestatam percepti in conditionem veniant, moram requirunt, vid. Mynsing. *6. Obs. 50. num. 9.* ab his tamen merito recedit H. Donell. *de Fruct. c. 3. conf. B. Dn. Frommann. de Different. Act. bon. fid. §. strict. jur. ib. 13.* Imò dici posset, quod Vafallus etiam personaliter non interpellatus sit, propter ipsum delictum statim ab hujus initio moram facere videatur, arg. *l. 8. §. 1. 2. de Condit. furtiv. l. 19. 2. de Vi arm. in verbis final.* (quæ explicat Struv. in *S. I. C. Ex. 45. ib. 112.*) & sic ad restitutionem fructuum teneatur. conf. Dn. Rhet. *l. c. p. 441. num. 1. seqq.* Manet itaque quod quocunque modo feudum propter feloniam amittatur, omnes fructus post hanc percepti non Vafallo, sed domino debeantur, idque propterea ad casum feudi ipso jure ad dominum redeuntis restringi nequeat, frustra noviter dissentiente Tit. Im Teutsch. *Sohn. Rhet. c. 16. §. 55. 56.* Si quis autem scire velit de delicta, propter quæ Vafallus ipso jure feudo privatur, ea quidem in Lau-
bat.

dar. disput. de Redit. dom. legal. thes. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. repetiet annotata, conf. Excell. & venerandus Dn. Masov. Patronus & Præceptor quondam noster faventissimus coleandissimus in Disputat. Gryphiswaldiæ habita de præcipuis Feodis speciebus, passim per tot.

§. 36.

Coronidis loco addimus, quod omnis de fructibus feudi controversia tanquam causa non feudalis coram iudice allodiali dirimi debeat. Struv. in S. L. F. cap. 16. aphor. 7. num. 1. Dn. Coccejus in Hypomn. Jur. Feud. tit. 9. th. 9. num. 11. e. g. si creditores allodiales in fructus immitti velint. vid. supr. §. 13. num. 3. item si hæredes defuncti Vasallaresationem expensarum in fructus ultimi anni factarum petant. vid. supr. §. 13. num. 1. in fin. §. 25. vel etiam dictos fructus lucrantes, ex possessione feudi dejecti, interdictis possessoriis experiantur. supr. §. 26. Illud quidem per se manifestum est, quod si controversia de fructibus sit incidens, causa verò principalis ad iudicem feudalem pertineat, illa una cum hac eodem iudicio decidenda sit. Et si forte lite principali finita, fructus non simul sint adjudicati, hi speciali actione coram iudice allodiali peti poterunt. vid. Buf. de Offic. Judic. c. 7. n. 31. Carpov. L. 1. Resp. 79. n. 19. Sed hæc latius persequi nolumus, alio fortis die de modo adjudicandi fructus, ubi occasione l. 18. n. de Usur. de fructibus iudicio personali adjudicandis differendi locus erit, Deo dante professa opera æturi. Finiamus itaque eum, qui hætenus nos exercuit, laborem, qui ut in omnibus, quæ malè & perperam dicta fuere, B. L. veniam mercatur, impensissimè rogamus, ultro fatentes, ea quæ de Fructibus feudi annotavimus, accuratius pariter ac deductius proponi potuisse, si Excell. Dn. Præfidi, Divini humanique juris Antistiti meritissimo, nostras meditationes sua eruditione supplere & emendare placuisset. Quod etsi non semel æflagitavimus, maluit tamen Vir inclytus nos aliquale in studio juris feudalis ipsius quidem ductu fidaque informatione quæ sitorum profectuum specimen proprio Marte edituros, propriis quoque viribus relinquere, ut, quam exiguæ illæ sint, eò meliùs intelligeremus. Laudamus hoc meritò, nihil unquam omisfuri, ut eum, quem nobis indulgebit, præfidiæ honorem omni veneratione semperque duratura pietate compensemus.

SOLI DEO GLORIA.

ULB Halle
006 380 859

3



vd 18







Q. D. B. V.
 DISPUTATIO JURIS FEUDALIS
 DE
 FRUCTIBUS FEUDI,

750
 23
 1703, 6

Quam,
 Indultu inclytæ Facultatis Juridicæ,

16

PRÆSIDE
 DN. GABRIELE SCHWEDERO, U. J. D.
 Jur. Publ. & Feudal. P. P. O.

Patrono ac Præceptore suo colendissimo,

H. L. Q. C.

Ad d. 14. Julij.

Publicè & solenniter defendet

Georgius Adolphus Carocius, Pomeran.
 Author & Respondens.

Mo. MDCCIII.

Tubingæ, Litteris Joh. Conradi Eitelii.

